



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VI. Vtrùm essentia Quantitatis sit tribuere partes Substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. VI. Vtrum essentia quantitatis, &c. 589

tatis, quæ potest dividi, nam per divisionem quæ est actus divisibilitatis corrumpitur quantitas, quæ dividitur; ergo divisibilitas supponit aliud primum esse in quantitate.

26. Confirmatur, divisibilitas supponit extensionem impenetrabilem; ergo divisibilitas non est primum esse in quanto; ergo non est essentia. Antecedens sic patet, quia divisibilitas est potentia passiva in quanto, quæ respicit potentiam activam simultaneam cum ipsa in agente physico, ut dividat talem quantitatem, nam statim ac datur potentia passiva in passio, simul correspondet potentia activa in agente, ex quo dimanavit axioma illud, omnipotentia passiva correspondet activa; sed potentia activa in agente physico præsupponit extensionem impenetrabilem in quanto, quia agens non potest dividere quantum, nisi esset impenetrabile, & extensum, & ideo hæc est vera causalitas, ideo agens potest dividere subiectum, quia est extensum occupando locum, ideo enim bombardæ dividit parietem, & murum demolitur, & frangit tabulata navis propter occupandum locum ad quem rapitur violento impetu, & in quo reperit repugnantiam in muro seu in pariete, & non est contratio ideo est extensum, quia est divisibile, & potest dividi à subiecto; nam sicut agens etiam est extensum, ita petit extensionem in passio, & ideo potentia passiva non potest videre indivisibile, & inextensum; ergo, & potentia passiva quæ est simul cum activa præsupponit extensionem impenetrabilem in subiecto.

27. Secundo, quia essentia est radix omnium passionum, & attributorum, quæ reperiuntur in re constituta per talem essentiam ut lips, & tonforibus notum est, sed divisibilitas non est radix impenetrabilitatis nec causa illius; sed potius est contra ut probatum manet; ergo divisibilitas non est essentia quantitatis.

28. Tertio probatur hæc conclusio omnibus argumentis, quibus hoc ipsum demonstravimus supra explicantes definitionem Aristotelis quantum est divisibile.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

29. Ad locum Aristotelis Respondeo, dicendo quod ibi loquutus fuit secundum rationem posterioriorem quantitatis, quæ est ratio mensuræ, ex qua colligebat essentiam quantitatis à posteriori.

30. Secundum argumentum futile est, nam etiam quantitas est apta ad feriendum, & verberandum, & nihilominus talis aptitudo non est essentia quantitatis; ergo licet quantitas sit apta ex natura sua ad mensurandum, cum talis aptitudo non sit primum constitutivum, non erit essentia illius.

31. Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem, quia alia ratio est essentialis per quam distinguitur quantitas à substantia, & qualitatibus, & distinguitur à cæteris rebus, de qua postea dicitur q. 3. Vtrum essentia, seu effectus primarius, seu formalis quantitatis sit tribuere substantiæ partes.

32. Ad argumentum secundæ sententiæ, & ad locum Philosophi respondeo talem definitionem non esse essentialem, sed descriptivam.

Ad rationem, nego maiorem, ut patet ex dictis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum essentia quantitatis sit tribuere partes substantiæ.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit omnem rationem partium integralium provenire in substantia corporea à quantitate, quæ sublatæ, indivisibilem ex se manere, non quidem positive, ita ut ex se nullas exigit partes ex propria natura, sed indivisibilitatem negative habere, id est quod licet actu ex se non habeat partes, esse tamen aptam ut eas habeat quantitatis accessus, si autem interrogas in quo consistat hæc ratio partium respondent in hoc, quod sint actu distinctæ, & unitæ cum ordine; sicut ergo in sigillo aureo duo sunt, & entitas materialis illius, quæ est entitas substantiæ auri, & forma, & figura ipsius, sic similiter in substantia datur & entitas substantiæ & distinctio partium, seu ratio illorum, & hoc secundum inquit hæc sententia causari à quantitate hanc sententiam collatis signis unanimi consensu sequuntur Thomistæ, in ipsamque quasi iureiurando omnes conspiravere. Probatur hoc placitum.

Primo auctoritate Aristotelis 1. Physicæ, text. 15. ubi sic ait: atqui Melissus id quod est infinitum esse asserit, id ergo quod est quantitas est quædam, infinitum enim in quantitate nimirum est, substantia autem infinita, ut qualitas, aut effectus infinitus esse non potest, nisi per accidens si simul, & quanta sint quædam, ex quibus clare colligitur substantiam absque quantitate non habere partes; alias non sola quantitas esse posset infinita per se: sed substantia etiam, quia fundamentum infinitudinis secundum extensionem est pluralitas partium.

Secundo probatur auctoritate Divi Thomæ 1. p. quæst. 50. art. 2. ubi sic ait, materiam autem dividi in partes non convenit nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, quæ remota remanet substantia indivisibilis, & 4. contra Gent. cap. 65. in fine, ait, quod remota quantitate substantia omnis indivisibilis est.

Tertio hac ratione (probat Pater Vazquez hanc sententiam, quam asseveranter sequitur tom. 3. in 3. p. disput. 109. c. 3. n. 25.) & his verbis.

Si substantia composita, cæteraque illius accidentia secundum se haberent extensionem partium in se ipsis, ut recentiores dicunt, non esset constituenda alia extensio, in qua essentia quantitatis consisteret media inter extensionem substantiæ, cæterorumque accidentium secundum se, & impenetrabilitatem, seu extensionem, quam vocant actuaalem in ordine ad locum: sed satis esset in illa extensione substantiæ, & accidentium secundum se constituere essentiam quantitatis secundum rem non distinctam à qualibet re, & ei ut passionem addere extensionem illam actuaalem

Eccc 3 in

in ordine ad locum, aut è contatio soli extensioni ad locum, quæ scilicet impenetrabilitas essentialis quantitatis à describere, simulque fateri christum in Eucharistia sine sua quantitate esse, ut nonnulli sunt arbitrari, ut quid igitur tres extensiones excogitabimus? & in media sola essentialis quantitatis constituemus? iam vero nullum ubi, nullamque distantiam substantiæ compositæ, & alijs accidentibus secundum se convenire; imo neque ipsi quantitati sine propria sua passione, quæ est extensio in ordine ad locum non minus facile probatur primo, quia si substantia composita, cæteraque accidentia secundum se haberent partes sine quantitate, ita ut aliquod ubi distinctum ab ubi ipsius quantitatis habere possent, sicut adversarij docent, aut superte natura postulerent modum existendi in loco, & pars in parte, cumque natura determinata sit ad unam partem non possent indifferenter utrumque modum existendi in loco postulare; si autem determinate aliquem postulerent, potius postulare deberent modum divisibilem, ita ut tota existerent in toto loco, & parseorum in parte, quam indivisibilem, quod si substantia composita hunc modum exposceret superte natura, sequeretur non posse ei communicari etiam per divinam potentiam modum indivisibiliter existendi in loco, sicut neque quantitati cum sua propria passione, & modo non potest communicari modus existendi indivisibiliter, quia superte natura modum divisibilem postulat.

3 Quarto probatur, quia si materia prima, v. g. haberet partes præcise quantitate, ante quantitatem esset materia composita ex suis partibus: sed hoc est omnino falsum; ergo materia prima sine quantitate non habet partes. Minor probatur, quia prima compositio est illa, quæ est actu, & potentia; ergo ante illam non potest intelligi in materia prima alia compositio: ergo nec compositio partium.

Quinto, quia habere partes extensas, est effectus formalis accidentalis sicut esse album: ergo sicut esse album est formaliter ab albedine, ita habere partes extensas erit formaliter à quantitate: antecedens probatur, quia habere partes extensas, non est essentialis quid, sed accidentale.

Sexto, implicat materiam primam habere ex se aliquas partes integrales substantiales: ergo omnis ratio partium, quæ reperitur in substantia corporea provenit à quantitate, tanquam effectus formalis à sua causa formalis: antecedens sic probatur, primo, quia pluralitas partium esse non potest absque distinctione eorum inter se, quæ distinctio necessario debet provenire ab aliquo actu, siquidem actus est qui distinguit ex. 7. mer. tex. 49. sed in materia secundum se nullus est actus, cum sit pura potentia, ex quo ibi non potest esse distinctio partium. Secundo distinctio partium est unam partem esse extra aliam: ergo sola quantitas est, quæ illas distinguit, & confert materiæ primæ.

Septimo, quantitas necessario debet habere aliquem effectum formalem peculiarem, & determinatum, qui cum illa recurat, & à nulla alia forma præstari possit, sed præter dictam partium substantiarum distinctionem, sive extensionem nullus assignari potest: ergo, Probatur minor, quia

in primis ex dictis constat illum esse non posse rationem mensuræ, & divisibilitatem quia hæc supponunt rationem partium ut primum quantitatis conceptum, nec est impenetrabilitas, quia vel impenetrabilitas sumitur pro actuali tenentia, & exclusionem unius quantitatis à consortio alterius in eodem loco, vel pro aptitudine, vel pro radice ex qua dimanat talis aptitudo, & capacitas non primum, alias solum inveniretur quantitas; in rerum natura, quando alteram ab eodem loco expellit, dicendumque esset utrum Virginalem non fuisse quantum in partu Virginis, cum divinitus corpori Christi additum permiserit absque sui fractione, & ruptione. Nec secundum, quia capacitas illa est proprietas, & secundarius conceptus supponens alium priorem, ex quo dimanat, & oritur: imo prius intelligimus quantitatem esse divisibilem, quam impenetrabilem aptitudinaliter, quia divisibilitas oritur, & coniungitur immediatius cum extensione partium, & deinde media divisibilitate impenetrabilitas, cum ideo quantum sit impenetrabile, quia est divisibile, & non è contra. Si tamen dicatur tertium impenetrabilitas sumpta in illa acceptione, est idem re, & ratione cum extensione, & distinctione partium, quare omnis distinctio, & extensio partium proveniat solum à quantitate, substantiaque nullis partibus gaudebit ex se, sed omnes habebit beneficio quantitatis.

SECTIO II.

Nostra sententia ostenditur.

Conclusio: substantia non accipit partes substantiales, nec distinctionem ipsarum à quantitate; ita fere omnes Doctores, & Scotus, & omnes Societatis Iesu Doctores, & probatur.

Primo, quia quantitas non constituit adæquate, & formaliter substantiam compositam in quantum substantia est; sed si quantitas tribueret partes substantiales substantiæ, quantitas adæquate constitueret substantiam in quantum substantia est: ergo quantitas non tribuit partes substantiæ. Maior evidens est, primo, quia quantitas si constitueret substantiam non esset nisi in genere causæ formalis, ut ipsi adversarij fatentur, & ratione ipsa patet evidenter; sed in genere causæ formalis non potest quantitas constituere substantiam in quantum substantia est: ergo. Minor sic probatur, quia nihil aliud est causam in aliquo genere constituere, nisi in illo genere dare esse constituto, ut de se patet: sed quantitas nullo modo potest dare esse substantiale, aut esse substantiæ: ergo in genere causæ formalis non potest quantitas constituere adæquate substantiam in quantum substantia est. Hæc minor sic probatur, quia causa formalis nullo alio modo dat esse effectui, nisi dando se ipsam, aut per proprium suum esse componendo effectum cum causa formalis per exhibitionem suæ entitatis causæ; unde dum constituit forma effectum, nullum aliud esse dat illi nisi suum ipsum esse per unionem ad materiam, ex qua constat effectus; sed esse quantitatis nullo modo est esse substantiæ, aut substantiale, sed potius esse accidentis, aut accidentale realiter distinctum ab esse substantiali, seu ab esse substantiæ, alias quantitas esset substantia, quod est absurdum, omnis enim res quæ esse substantiale, seu esse

esse substantiæ habet, est substantia: ergo quantitas nullo modo potest dare esse substantiale substantiæ in genere causæ formalis.

Vergetur, quia nemo dat quod non habet: sed quantitas non habet esse substantiæ, aut esse substantiale: ergo non potest dare esse substantiæ, aut esse substantiale effectui in genere causæ formalis, præcipue quia forma in genere causæ formalis non dat esse, quod aut eminenter, aut virtualiter habet: sed solum quod formaliter in se continet, ut videre est in luce, quæ licet contineat eminenter calorem, ac proinde in genere causæ efficientis producat calorem, nihilominus in genere causæ formalis non dat esse calidi effectui: sed solum dat esse lucidi, aut esse lucis, quia hoc esse formaliter continet, illud autem non. Item calor licet virtualiter contineat substantiam quatenus est virtus, seu instrumentum substantiæ, ac proinde, ut vos assertis effective in virtute substantiæ producat substantiam, nihilominus in genere causæ formalis non dat esse substantiæ, nec constituit concretum substantiale ut substantiale: sed potius dat esse formale accidentis, & constituit concretum accidentale calidum, & nimirum quatenus formaliter calidum est: sed quantitas formaliter in se non habet esse substantiæ, aut esse substantiale: ergo non dat esse substantiæ, aut substantiale in genere causæ formalis, ac proinde non constituit effectum substantialem, aut substantiam in esse substantiæ adæquate.

Declaro amplius hoc, quia effectus formalis primarius alicuius formæ non excedit in gradu entis ipsam formam, ut videre est in effectui formali formæ naturalis, qui non potest esse supernaturalis; nec effectus alicuius privationis, aut negationis formalis potest esse positivus, ne excedat effectus formalis in gradu essendi ipsam formam: sed quantitas non est in gradu substantiæ, aut substantialis, sed potius in inferiori gradu, scilicet accidentali; ergo effectus formalis primarius illius non est in gradu substantiali. Patet hæc consequentia, quia si effectus formalis quantitatis esset in gradu substantiali excederet effectus formalis quantitatis ipsam quantitatem, &c., quia nihil aliud est excedere in gradu essendi, nisi esse in gradu superiori, aut in gradu excedente in perfectione gradum in quo existit causa: sed gradus substantialis in quo esset effectus formalis quantitatis esset gradus substantialis, qui superior est, & excedit perfectione gradum accidentalem in quo est quantitas: ergo effectus formalis quantitatis excederet in gradu essendi quantitatem, sed hoc est absurdum: ergo effectus formalis quantitatis non existit in gradu substantiali.

Ratio autem à priori huius est, quia effectus primarius formæ debet esse eiusdem rationis cum formâ, & non diversæ rationis, ideo enim albedo constituit necessario album, & non substantiale aut luminosum, & dulcedo non constituit calidum, sed potius dulce, quia dulce, & album sunt eiusdem rationis cum albedine, & dulcedine, substantiale autem luminosum, & calidum sunt diversæ rationis, ac sunt albedo, & dulcedo: sed esse substantiale, aut esse substantiæ non est eiusdem rationis, sed diversæ ab esse quantitatis: ergo esse substantiale, aut esse substantiæ non potest esse effectus formalis quantitatis. Patet minor, quia esse substantiæ, aut esse accidentis non sunt

eiusdem rationis, sed diversæ, sed quantitas est esse accidentis, &c. ergo esse quantitatis, & esse substantiæ non sunt eiusdem rationis, sed diversæ.

Minor prima, & præcipua in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia si quantitas tribueret omnes partes integrales substantiales substantiæ in genere causæ formalis, ipsi substantiæ tribueret adæquatum, & totale esse substantiale in genere causæ formalis, sed tribuere in genere causæ formalis alicui suum esse adæquatum, est constituere adæquate illud in genere causæ formalis: ergo si quantitas in genere causæ formalis tribuit substantiæ omnes partes integrales substantiales illius, per vos quantitas constituit adæquate substantiam in esse substantiæ si, &c. Hæc minor est evidens, quia nihil aliud est constituere adæquate in aliquo genere causæ, quam dare in illo genere causæ esse adæquatum, v. g. anima rationalis in genere causæ formalis constituit hominem, quia in genere causæ formalis dat homini suum esse, & albedo constituit album formaliter, quia in genere causæ formalis dat esse albo: ergo dare seu tribuere alicui in genere causæ formalis adæquate esse, est constituere adæquate in genere causæ formalis ipsum. Maior illa sic probatur, quia substantia habens partes integrales substantiales, non habet aliud esse præter omnes partes simul sumptas, & unitas; ergo tribueret totum, & adæquatum esse substantiale tali substantiæ, quia illud est adæquatum esse alicuius rei, præter quod nullum aliud habet esse talis rei: sed præter omnes partes simul sumptas integrales substantiales non habet aliud esse substantia composita ex illis: ergo si quantitas tribuit tale esse præter quod non est aliud in substantia illa, quantitas tribuit esse adæquatum substantiæ, quatenus substantia est.

Maior illa sic probatur, quia totum integrale est idem quod omnes partes simul sumptæ, & unitæ adæquate, ita ut tale totum nullo modo distinguatur à parte rei ab omnibus illis partibus simul sumptis, & unitis, nam licet inter Doctores controversetur, an compositum ex materia, & forma distinguatur ab omnibus partibus simul sumptis & unitis, nihilominus pro certo habetur apud omnes totum integrale non posse distingui ab omnibus partibus simul sumptis, & unitis, quia omnes concordant in hoc, ut totum integrale nihil addat supra omnes partes simul sumptas, & unitas, sed inter ea inter quæ nulla distinctio datur, sed potius reperitur adæquata identitas, ita contingit ut vnum ex illis non habeat aliud esse ab eo quod habet alterum, quod est idem adæquate cum ipso, ut ex ipsis terminis patet, alias essent idem & non essent idem, distinguerentur & non distinguerentur, sed substantia, de qua loquimur, est totum integrale ex partibus substantiæ integralibus; ergo talis substantia non habet aliud esse, ac proinde adæquatum esse substantiale illius sunt omnes partes simul sumptæ, & unitæ integrales substantiales.

Vergetur declarando amplius hoc, quia forma non dat esse subiecto talis formæ, præcipue si forma sit accidentalis, & subiectum sit substantia, quia omne subiectum præsupponitur prioritate naturæ ad formam accidentalem, quæ subiectatur in ipso, quia talis forma accidentalis dependet ab ipso subiecto in esse, & fieri, prius enim non habet esse à posteriori, sed esse materiæ pri-

ma, quod est subiectum quantitatis, saltem inadaequatum sunt omnes partes simul sumptae, & vnita illius: ergo quantitas quae est forma accidentalis non potest dare omnes partes integrales substantiales materiae primae. Maior illa est certa, nam licet forma possit dare subiecto aliquod esse distinctum à proprio esse subiecti, nihilominus talis forma non potest dare subiecto proprium esse subiecti, & per quod constituitur subiectum in esse talis, v. g. anima rationalis bene tribuit materiae primae esse animati, hoc est quod sit animata, sed nullo modo tribuit materiae primae, esse materiae primae, quia tale esse solum accipit materia prima à Deo in genere causae efficientis per creationem, & nullo modo in genere causae formalis à parte rei, sicut albedo bene facit quantitatem albam, sed non facit illam in genere causae formalis quantitatem, quia esse quantitatis praesupponitur prioritate naturae ad esse albedinis: ergo forma non tribuit subiecto proprium esse talis subiecti: ergo nec quantitas tribuit partes substantiales materiae primae, quia tales partes sunt proprium esse materiae primae, vt iam diximus.

Deinde, quia partes materiae primae sunt de essentia eius, sed quantitas & eius partes non sunt de essentia materiae: ergo. Minor est certa, quia materia est substantia, quantitas vero accidens. Maior patet, quia omnes partes simul sumptae vt iam diximus sunt tota essentia compositi, vel saltem illae, & totalitas sunt compositum: atqui quantitas nec partialiter, nec totaliter est ipsa materia prima, nec compositum illam: ergo.

Præterea declaratur, quia quando effectus formalis est de substantia, & conceptu alicuius, forma, seu causa formalis est de essentia, seu de conceptu entitativo illius, de cuius conceptu, entitate, & substantia est talis effectus: sed partes integrales substantiales sunt de conceptu, & substantia, seu essentia materiae primae: ergo quantitas, quae est causa formalis partium substantialium integralium materiae primae erit de conceptu substantiali, & entitativo materiae primae: sed accidens non potest esse de conceptu substantiali entitativo primario substantiae: ergo quantitas, quae accidens est, non potest esse de conceptu primario substantiali materiae primae, quae substantia est: ergo quantitas non est ratio formalis, seu forma constitutiva in esse causae formalis partium substantialium materiae primae. Minor illa patet, quia accidens, vt supra diximus, est secundarius conceptus substantiae, ideoque ei iam constituta in primario conceptu advenit, & quia sic constituta accedit, accidens dicitur; vnde absolute est extra conceptum primum, & substantialem substantiae, quia substantiam praesupponit prioritate naturae constitutam in suo esse primario, & substantiali; siquidem per tale esse primario constitutur substantia est causa materialis accidentium, &c. Maior prima est evidens, ideo enim anima est de essentia hominis, quia animatum, quod est effectus formalis animae est de essentia ipsius hominis, & subsistentia est de substantia equi, quia subsistens est de substantia eiusdem: ergo quando effectus formalis est de conceptu substantiali, alicuius, etiam forma illius effectus est de tali conceptu, quia quod est causa causae, est causa causati, quia quantitas solum illas partes potest tribuere materiae primae quas in se habet formaliter, quia

forma non tribuit aliud esse præter illud quod vnitur materiae: sed non vnitur materiae nisi illud ipsum esse, quod ipsa forma formaliter habet: ergo solum illud esse partium potest tribuere materiae primae quantitas quod habet in se re materiae primae quantitas quod habet in se formaliter, & in proprio, ac formali conceptu; sed quantitas nullas partes substantiales habet in se formaliter: sed solum accidentales, quia ipsa in se adaequate est accidens; vnde omnes partes quantitatis sunt quantitas, & non substantia: ergo nullas partes essentielles potest tribuere materiae primae quantitas in genere causae formalis.

Vrgeo, vnaquaeque pars integralis compositi & integralis homogenei est eiusdem rationis, & denominationis cum toto; sed partes materiae primae, lapidis, v. g. aut aquae sunt partes integrales homogeneae: ergo sunt eiusdem rationis, & denominationis, cum materia prima: sed materia prima est substantia, & dicitur materia prima: ergo vnaquaeque pars integralis materiae primae, & omnes sunt substantia, & materia prima: ergo quantitas in genere causae formalis non dat esse illarum, nec constituit illas in esse partium integralium homogenearum. Patet hæc consequentia, quia illae in quantum sunt partes integrales, &c. sunt materia prima, & substantia: sed quantitas vt patet ex dictis non potest dare esse materiae primae ipsi materiae, nec potest constituit substantiam in esse substantiae: ergo non potest dare tales partes, nec constituit ipsas in esse partium.

Denique, quia semper effectus formalis habet aliquid quod non accipit à forma, v. g. album in pariete habet esse parietis quod non accipit ab albedine, & homo habet materiam primam quam non habet ab anima: ergo in effectum formalem quantitatis debet reperiri aliquid, quod non accipiat à quantitate, v. g. in quanto: sed hoc non potest esse aliud nisi subiectum quantitatis, id est, esse materiae primae: ergo esse substantiale materiae primae, seu ipsam substantiam illius non accipit à quantitate: sed partes substantiales materiae primae sunt esse substantiale illius, & sunt substantia materiae primae: ergo tales partes non accipiunt à quantitate formaliter, v. g. in Eucharistia datur effectus formalis albedinis compositus ex quantitate, & albedine inter se vnitis, qui vocatur album, quia autem quantitas ex eo quod sit subiectum talis albedinis, aut materiale illius albi, non accipit esse ab albedine: sed potius à se habet suum esse, nullo modo recipit partes ipsas quantitativas ab albedine, quibus quantitas in suo esse constituitur, & componitur, & ratio est, quia ipsae partes quantitatis sunt ipsum esse quantitatis, & sunt proprie quantitas: sed materia prima est subiectum, seu materiale huius concreti quantitatis, & quantitatis illius: ergo quantitas in tali concreto non dat esse materiae primae, quatenus materia prima est, nec esse partium integralium substantialium illius, quia tales partes integrales substantiales sunt ipsum esse materiae primae, & in se ipsis sunt vere, & proprie materia prima.

Dices à quantitate non accipere materiam primam partes substantiales, quatenus substantiae sunt; sed quatenus sunt distinctae, hoc est, accipere distinctionem illarum partium à quantitate.

Sed

Sed contra primo, quia quantitas nullo modo potest tribuere talem distinctionem partium, ad quod demonstrandum sumo substantiam, quae existit in capite, & substantiam quae existit in pedibus; substantia, quae existit in capite, propterea excludit à sua entitate quantitatem, & propterea distinguitur ab illa realiter non est substantia, quae est in pede: ergo propterea excludit quantitatem à sua entitate substantia, quae est in capite habet distinctionem, ac distinguitur à substantia, quae est in pede. Probat autem antecedens, entitas substantiae quae est in capite non est entitas substantiae quae est in pede substantia, quatenus distinguitur à quantitate: ergo quatenus excludit per distinctionem quantitatem à sua entitate una substantia non est alia: ergo distinguitur ab illa: ergo talis distinctio non provenit à quantitate. Patet consequentia, quando aliquid subiectum habet aliquem effectum formalem ab aliqua forma, non potest illum habere quatenus excludit talem formam, v. g. paries, qui habet ab albedine formaliter disgregare visum, non habet illum effectum quatenus excludit albedinem à sua entitate, quia sine illa non disgregat visum: sed substantia quatenus excludit quantitatem à sua entitate habet distinctionem, ergo non habet illam à quantitate.

9 Declaro hoc, quia substantia capitis excludit quantitatem à suo esse, quatenus componit cum propria quantitate quantum; nam hoc modo excludere nihil aliud est, quam distingui distinctione excludentis ab exclusio vnum ab alio, cum autem omne id quod componit cum alio, quatenus componit cum illo, debeat distingui ab illo distinctione excludentis ab exclusio, inde est quod substantia capitis ex eo quod componat cum quantitate capitis, quantum debeat distingui à quantitate distinctione excludentis ab exclusio, ac proinde debeat excludere quantitatem à suo esse: sed quatenus sic excludit quantitatem est in diverso loco à parte rei naturaliter ab eo, in quo naturaliter est substantia pedis. Item propterea sic conservatur à Deo distincta actione substantia ab ea per quam conservatur substantia pedis: sed solum res distinctae possunt naturaliter esse in diversis locis, & possunt conservari diversis actionibus ab eodem agente; ergo tales substantiae propterea excludunt à suo esse quantitatem, distinguuntur inter se; ergo talem distinctionem non accipiunt à quantitate.

Secundo contra hanc solutionem insurgunt omnia argumenta meo videri evidenter, quibus infra utemur ad hoc intentum demonstrandum, videantur ea sub sectione 1. 2. & 3. quibus non solum haec solutio: sed etiam aliae multae, quibus se protegent adversarij, labefactantur efficaciter.

SVBSECTIO I.

Secunda ratio probatur nostra conclusio.

10 Secundo, principaliter sic argumentor, quia fide Catholica constat, totam substantiam panis media consecratione converti in substantiam Christi, & omnes partes substantiales panis, ita ut nulla pars substantiae maneat sine eo quod convertatur in Christum; item eadem fide constat post talem conversionem substantiae panis, manere species panis, hoc est accidentia omnia, quantitatem videlicet, albedinem, odorem, &c. (quod etiam evidenti experientia patet) ac nullo modo quantitatem, & cetera accidentia; neque particulariter, neque totaliter converti fuisse in substantiam Christi, quae omnia his verbis tradidit Concil. Trident. sess. 13. decreto de sanctissima Eucharistia Sacramento, canone 2. [si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, & vini una cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia apostolicissime transubstantiationem appellat, anathema sit.] Quibus verbis, & praecipue illis. [Negaveritque mirabilem illam, &c. totius substantiae panis in corpus aperte definit substantiam totam, quatenus totam cum omnibus suis partibus convertam fuisse in substantiam Christi. Illis autem verbis. [Manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini;] pro certo definit, ut optime adnotat Pater Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 56. sect. 1. conclus. 1. §. dicendum est ergo, primo post talem conversionem panis manere quantitatem; & nullo modo convertam fuisse in substantiam Christi, quod ante Concilium Trident. docuerat Divus Thomas quaest. 77. a. 1. 1. & 2. in corpore ubi sic ait respondeo dicendum, quod necesse est dicere accidentia alia, quae remanent in hoc Sacramento esse sicut in subiecto, in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente.

Sed si partes substantiae essent effectus formalis quantitatis primarius, non solum substantia panis, sed etiam tota quantitas converteretur in Christum; ergo partes substantiales non sunt effectus formalis primarius quantitatis. Minorem sic ostendo, quia quotiescunque convertitur aliquis effectus formalis in aliud, debet converti quicquid est de essentia primaria talis effectus: sed causa formalis seu forma est de essentia effectus formalis: ergo si convertitur effectus formalis, necesse est ut convertatur etiam forma, seu causa formalis illius: sed tota substantia quatenus tota, & omnes partes illius, quae sunt effectus formalis primarius quantitatis convertuntur in corpus Christi: ergo necessario convertitur in corpus Christi quantitas, quae est causa formalis, seu forma illarum: sed non convertitur, ut patet ex supradictis: ergo quantitas non est causa formalis partium substantiae, &c.

Declaratur, ideo quando convertitur panis quoad substantiam in corpus Christi, & vinum in sanguinem Christi substantialiter convertitur necessario in corpus Christi forma substantialis panis, & forma substantialis vini, quia totum esse essentiale substantiae panis est effectus primarius formae substantialis panis, nam converso aliquo, debet converti simul id quod est de essentia illius: sed totum integrale panis substantialiter, & partes substantiales panis integrales convertuntur in Christum; ergo quantitas debet converti, quia est causa formalis illius.

Dices non converti in Christum partes substantiales ut partes sunt: sed tantum entitatem substantialem illarum.

ffff Sed

Sed contra, quia ut infra probabitur pars substantialis præter propriam entitatem substantialem tantum dicit rationem incompletionis, & distinctionis; sed hoc totum est ipsa ratio substantiæ, seu quæ constituit ipsam substantiam in esse totius substantiæ compositæ, nam licet ad esse substantiale substantiæ simplicis non pertineat distinctio partium, & ratio incompleta in illis, nihilominus ad esse totius substantiæ compositæ quatenus tota est formaliter pertinet distinctio partium, & incompleta ratio illarum, & ratio manifesta, & evidens à priori est, quia non potest esse totum compositum sine partibus (in ea ratione qua totum est) componentibus vera vnione, & compositione tale totum, sed non possunt esse vere partes componentibus totum, nisi sint entitates distinctæ, & incompletæ, quia vnio, & compositio per se substantialis necessario petit entitates incompletas distinctas; ergo de ratione totius substantiæ panis compositæ integraliter sunt necessario, & formaliter substantiæ incompletæ, aut partes integrales substantiales distinctæ inter se, ita ut nihil aliud sit tota substantia panis, quatenus integraliter composita existit à parte rei, nisi omnes partes integrales substantiales, seu incompletæ integraliter substantiæ simul sumptæ, & vnitæ, sed ex Concilio Tridentino, tota substantia panis convertitur in corpus Christi; ergo id quod est idem cum ipsa converteretur in corpus Christi, alias idem converteretur, & non converteretur; unde idem esset, & non esset simul, quod est omnino impossibile, sed partes illæ substantiales distinctæ inter se simul sumptæ, & vnitæ sunt idem quod tota substantia panis integraliter composita; ergo tales partes non solum quoad entitatem substantialem, sed etiam quatenus partes sunt convertuntur in Christum.

12 Deinde, quia dum Sacerdos ex intentione propria directa ad medietatem hostiæ consecrat dimidiam partem illius, non potest dici quod sola entitas substantiæ sit conversa, & non quatenus pars, cum ibi sit conversa media consecratione, & entitas substantiæ hostiæ, & entitas quæ non est tota substantia hostiæ, seu panis, & quæ distinguitur à tota entitate substantiæ panis distinctione inclusi ab includente, tanquam componens cum alia totam substantiam panis, & quatenus actu componebat illam, sed huiusmodi substantia tali distinctione distincta, & actu componens totam substantiam est pars formaliter, & non substantia quomodocunque: ergo pars, ut pars convertitur in substantiam Christi.

13 Vergetur, quia aliquid substantiæ hostiæ integrans totam hostiam, & quatenus sic integrans, & non tota adæquate, ac totaliter hostia conversa est in Christum in casu à nobis proposito: sed aliquid integrans aliquod totum, & non totum ipsum est pars illius quatenus pars; ergo pars ut pars conversa est in substantiam Christi. Declaro amplius, quia pars integralis definit esse pars per negationem vnionis, ut videre est in parte aquæ quæ definit esse pars, & redditur totum, quando per divisionem, & separationem ab alia definit componere, quod optime docuit Aristoteles, dum definiens quantum sic ait: [Quantum est divisibile in ea quæ insunt, quorum utrumque, vel vnumquodque vnum quid aptum est esse,] quibus Verbis, ut omnes Doctores interpretantur, asseruit, & docuit Philosophus talem esse naturam continui, quatenus totum integrale est, &

tales esse partes illius, ut ex separatione, & divisione, illarum inter se vnaquæque ex parte reddatur totum: ergo è contra ex toto integrali ex vi præcise positionis, vnionis, & compositionis hoc est, ex eo præcise quod componat actu redditur, & est pars formaliter integralis, sed ex vi futuræ consecrationis substantia, quæ actu componebat cum alia parte totam substantiam hostiæ, & integrabat illam conversa est in substantiam Christi: ergo formaliter pars, ut pars integralis substantialis conversa est in substantiam Christi, quia hoc cōcretum substantia componens, & quatenus componens, hoc est quatenus dicens formaliter compositionem, & vnionem est pars formaliter, sed tale cōcretum, hoc est substantia cum vnione, & compositione conversum est in substantiam Christi: ergo pars, ut pars formaliter conversa est in substantiam Christi. Minor hæc sic probatur, quia id convertitur in substantiam Christi, quod definit esse per consecrationem, ad cuius decisionem ponitur corpus Christi, aut reproducitur sub speciebus panis, sed non solum substantia quomodocunque, sed etiam substantia cum vnione, & compositione definit esse per consecrationem, dum corpus Christi ex vi talis consecrationis reproducitur, aut ponitur sub speciebus panis, quia sacerdos suam intentionem consecrandi dirigit in casu supraposito, aut dirigere potest expresse, & formaliter ad consecrandam non totam substantiam Hostiæ, sed dimidietatem Hostiæ, quatenus componit cum alia, id enim definit esse per consecrationem, quod intenditur converti in substantiam Christi per talem consecrationem: ergo substantia cum vnione definit esse; siquidem nunc est verum dicere, nunc non est substantia cum vnione, & antea erat substantia cum vnione componens, sed substantia cum vnione, & compositione est cōcretum componens formaliter: ergo tale cōcretum convertitur in substantiam Christi formaliter.

Vergetur, Deus potest per potentiam suam absolute solutam separare substantiam Hostiæ à quantitate, ita ut vtraque entitas maneat in diverso loco, tunc enim tota illa substantia distinguitur à quantitate, & etiam ab alia materia prima, & à quacunque forma substantiali: ergo distinctionem vnus materie ab alia materia non accipit materia à quantitate; sed vna pars substantialis materie primæ est vna materia prima, & distinguitur ab alia parte: ergo distinctionem quam habet vna pars ab alia parte non est à quantitate partiali; & vergetur, quia ideo quantitas totalis non dat distinctionem materie totali respectu alterius materie, quia talis totalis materia est subiectum talis quantitatis, & subiectum sicut non accipit esse, quia prioritate nature præsupponitur ad quantitatem, ita non accipit distinctionem, quia distinctio immediate convenit entitati subiecti ex vi primarij conceptus, ac proinde debet etiam præsupponi cum esse subiecti prioritate nature ante ipsam formam accidentalem recipiendam, itaque esse subiecti, quatenus est subiectum, & quatenus est vnum subiectum, ac proinde quatenus est divisum, seu distinctum ab alio præsupponitur, & non accipit esse à quantitate, sed etiam vnaquæque pars materie primæ, quatenus vna pars, & vna substantia est subiectum partis quantitatis: ergo, sicut non habet esse à partiali quantitate, ita non habet distinctionem,

Quæst. VI. Vtrum substantia habeat, &c. 595

nem, quia habet illam ex vi propriæ differentia, & unitatis, præcipue, quia hæ ipsæ partes post separationem à quantitate conservantur distinctæ, alias identificarentur inter se post separationem à quantitate, quod est impossibile, quia quæ semel distinguuntur nunquam possunt identificari, & ideo non potest Petrus identificari cum Ioanne, & materia cum forma; imo & materia Petri cum materia Ioannis, sicut è contra impossibile est, quod vna, & simplex substantia distinguatur in duas realiter, v.g. impossibile est quod vnus angelus dividatur in duos, & distinguatur in partes; & ratio vniuersalis est quia vt dixi, quæ semel sunt idem nunquam possunt distingui inter se, & quæ semel distinguuntur nunquam possunt adhuc diuinitus identificari: sed illæ partes materia primæ semel vel aliquando, videlicet quando existunt sub quantitate distinguuntur inter se realiter quoad entitates proprias, liquidem quoad entitates substantiales proprias separantur realiter, nam existente vna in Hostia destruitur alia in entitate propria substantiali media consecratione: ergo nunquam possunt identificari inter se etiam si auferatur quantitas ab ea.

Dices neque separari, neque distingui illas substantias vt partes, sed solum in esse substantia, aut in esse totius.

Sed contra manifeste, primo, quia illæ entitates hostiæ distinguuntur, & separantur non vt completæ entitates: ergo vt partes. Consequentia est evidens supposito antecedenti, quia non datur medium à parte rei inter entitatem completam, & incompletam, quia vna constituitur per negationem alterius; incompleta enim est illa, quæ dicit ordinem ad componendum, vel quæ potest componere; completa autem quatenus completa, nec dicit ordinem ad componendum nec potest componere cum altera, sed incompleta entitas est pars: ergo non datur medium inter completam, & partem: sed illæ entitates hostiæ distinguuntur, & separantur non vt completæ: ergo vt partes; antecedens sic probatur, quia illæ entitates quæ separantur componunt totam Hostiam: sed ea entia quæ componunt non sunt completa: ergo illæ entitates quæ separantur, & distinguuntur in Hostia non sunt completæ; deinde quia per illam denominationem totius, vel partis non mutatur entitas illius substantiæ, quæ separatur, sed separatur vt totum: ergo separatur vt illa entitas substantiæ, quæ erat in toto composito substantiali; probatur maior: eadem entitas materia vel substantiæ est sub determinatione partis, vel totius: ergo non mutatur entitas intrinseca illius substantiæ quæ separatur; probatur antecedens, si non esset eadem intrinsece post separationem, sed alia, iam post separationem destrueretur illa substantia, quæ fuit separata, & de illa vt destructa redit idem argumentum: ergo est eadem substantiam quantum ad entitatem suam intrinsecam; sed separatur quantum ad entitatem suam intrinsecam: ergo distinguitur quantum ad entitatem intrinsecam suam: sed in tantum sunt partes in quantum distinguuntur quoad entitatem, & per suam entitatem intrinsecam componunt ratione propriarum entitatum: ergo ratione propriarum entitatum, & non ratione quantitatis sunt partes. Vergetur, quia in tantum sunt separabiles illæ entitates in quantum distinguuntur, & in tantum componunt in quantum distinguuntur: ergo de primo ad vltimum in quantum.

R. P. Alph. de Penafel, Theol. Schol. Tom. I.

tum separantur sunt partes quæ componunt.

Dices non componere illas duas entitates vnā hostiam dum separantur.

Sed contra: quia non minus evidens est distinguere ea, quæ possunt realiter separari, quam ea quæ separantur realiter actu: sed illæ duæ medietates, quando actu componebant totam substantiam hostiæ poterant separari: ergo quando actu componebant distinguebantur vt partes; quia distinguebantur vt componentes totum; tunc sic, ex se, & non ratione quantitatis possunt separari diuinitus media consecratione, &c. quando actu componunt: ergo ex se, & non ratione quantitatis distinguuntur vt partes; antecedens sic probatur, quia ratione sui, & non ratione quantitatis separantur actu, sed eo modo est potentia quo est actus: ergo si actus separationis conuenit illis medietatibus substantiæ ratione sui, & non ratione quantitatis: ergo potentia ad talem separationem conuenit illis ratione sui, & non ratione quantitatis; maior sic probatur, quia illæ entitates separantur media consecratione, & quatenus formaliter vna ex illis terminat consecrationem, & non alia, sed substantia ratione sui & non ratione quantitatis est consecrabilis, & terminat consecrationem; substantia enim ex eo quod substantia est convertitur in substantiam Christi media transubstantiatione consecrationis: sed substantia ratione sui, & non ratione quantitatis est substantia: ergo substantia ratione sui, & non ratione quantitatis terminat consecrationem, & consecratur, alias ipsa quantitas consecraretur, quod est falsum: ergo ratione sui, & non ratione quantitatis separantur, neque propter eam diuiduntur tales medietates.

Deinde, quia si propter quantitatem separarentur illæ medietates actu, & non ratione sui, etiam separaretur, & divideretur in partes quantitas, quado consecratur Hostia: sed quando datur talis consecratio minime diuiduntur partes quantitatis, sed manet integra quantitas, vt manebat ante consecrationem: ergo separantur illæ duæ partes substantiæ non ratione quantitatis, nec propter ipsam. Antecedens sic probatur, nam quando agens physicum dividit cultello substantiam materialem, dividit etiam quantitatem, quia talis diuisio causæ physica terminatur ad substantiam media quantitate, & propter ipsam, & quia qualitas, v.g. color, vel calor reddit substantiam coloratam vel calidam mediante quantitate, & propter ipsam, euidenter sequitur ipsam quantitatem debere reddi à fortiori calidam, vel coloratam secundum illud evidens axioma, propter quod vnum quodque tale, & illud magis: sed per vos illæ entitates consecratae diuiduntur mediante quantitate, & propter ipsam: ergo à fortiori in eadem consecratione debent diuidi partes quantitatis: sed hoc est falsum: ergo.

Tertio contra, quia illa pars substantiæ quæ destruitur media consecratione, potest à Deo iterum reproduci sine quantitate, & sic reproducta potest vniri cum alia parte (quam potest Deus etiam antequam reproducat illam primam separare à quantitate propria) sed ex illis sic vnitis resultat vna substantia composita, quæ nullam habet quantitatem; siquidem supponimus talem substantiam esse compositam ex duabus, quarum vna reprodicitur sine quantitate, & altera tam antea præexistens separatur à propria quantitate: ergo iam datur compositum substantiale ex partibus

ffff a tibus

tibus integralibus materiae primae sine quantitate; tunc sic, illae entitates ex quibus componitur substantia integra possunt separari à Deo destructa vnione adhaec quando actu componunt: ergo separantur vt partes non ratione quantitatis quia non est ibi quantitas: ergo ratione sui. Vergetur, & casum separationis pono inter partes heterogeneas hominis, v.g. quando separatur brachium à pectore, & caput à collo; tunc enim haec entia non possunt separari vt totum, sed vt partes: ergo falsa est illa solutio, videlicet quod partes integrales semper separantur vt totum. Probatur antecedens; caput quatenus est in corpore est pars heterogenea: ergo post separationem non est totum; probatur consequentia ex distinctione inter partes heterogeneas, & homogeneas, quia partes homogeneae sunt post separationem totum, vt pars aquae sit aqua totalis post divisionem; at vero partes heterogeneae semper sunt partes equi, vt caput equi semper est pars equi, & est non equus.

Declaratur, quia quantitas non est vnio formaliter inter partes substantiales; tum quia talis vnio est substantialis, & quantitas non est entitas substantialis, sed accidentalis; tum etiam, quia vnio est modus, quantitas autem est res. Deinde quia vna substantia non vnitur alteri substantiae per accidens, sed per se; atque si vniretur per quantitatem non vniretur per se, sed per accidens: ergo non vniuntur illae partes substantiales per se, sed per modum, qui sit intra gradum illarum partium, hoc est, intra gradum substantiae; omnis enim vnio inter partes integrales alicuius est per modum vnionis eiusdem ordinis cum partibus, v.g. vnio, quae datur integralis quantitatis non est qualitas, aut substantia, sed modus quantitativus; & vnio inter partes qualitatibus est qualitativus, vt ita dicam, & non quantitativus, aut substantialis; ergo vnio inter partes integrales substantiales non est accidens, v.g. quantitas, sed modus substantialis: ergo quantitas non erit ratio formalis vniendi duas partes integrales substantiales materiae primae: ergo tantum erit dispositio per vos ad formalem vnionem introducendam inter partes substantiales materiae primae: sed Deus potest supplere quaecumque dispositionem naturalem diuinitus, ita vt introducat formam etiam si non praecedat dispositio aliqua naturalis, & sic potest introducere formam ignis in subiectum quod non sit dispositum per calorem, & siccitatem: ergo inter illam dimidietatem Hostiae, quae remanet, quia non est consecrata, & separatur diuinitus à sua quantitate, & inter aliam dimidietatem Hostiae quae destructa fuit per conservationem, & reproducit de novo sine quantitate poterit Deus introducere, aut producere vnionem substantialem, in quo nulla videtur implicatio, siquidem eadem sunt entitates quae antea vnitae erant, in quibus aptitudo vt vniantur non distinguitur ab ipsis entitatibus: ergo si manet eadem entitas illarum, manebit eadem aptitudo in ipsis vt vniantur: ergo possunt vniiri saltem diuinitus, sed possibile posito in actu nullam sequitur inconueniens: ergo sine inconueniente possumus supponere quod vniantur de facto à Deo. Tunc sic, illae entitates vnitae sunt partes integrales, sed non datur in eo casu quantitas: ergo ratio partis in partibus integralibus non sumitur à quantitate formaliter.

SUBSECTIO II.

In qua tertium argumentum proponitur.

Tertio principaliter sic probatur; si materia prima ex se, & separata à quantitate nullas haberet partes substantiales, vt vos asseritis, esset separata à quantitate entitas simplex, sed ea entitas quae semel est simplex semper debet esse simplex, ita vt nunquam habeat partes nec sit composita ab eis; ergo illa substantia adhuc sub quantitate, erit simplex, & nullas habebit partes substantiales: sed hoc est absurdum vt experientia ipsa patet, & est contrarium vestrae conclusioni; si quidem vos asseritis cum veritate materiam primam sub quantitate habere partes, & non esse simplicem; ergo ne hoc absurdum sequatur dicendum est, materiam primam ex se separatam à quantitate non esse simplicem, sed potius esse compositam integraliter, & habere partes substantiales. Ex quo evidenter sequitur tales partes non recipere substantiam à quantitate, sed habere à se quia non existente forma nihil potest accipi ab illa in genere causae formalis: consequentia prima est evidens supposita minore, quia iam illa entitas materiae primae in casu separationis à quantitate supponitur simplex: sed ea entitas quae semel supponitur simplex semper debet esse simplex, & in nullo statu potest habere partes: ergo neque in statu coniunctionis cum quantitate potest habere illas; minor prima sic demonstratur, quia substantia per suum ipsum esse dicit simplicitatem, & non per aliud esse distinctum à proprio: ergo talis simplicitas non potest separari ab ipsa entitate quae simplex est, sed ea quae non possunt separari ab aliquo subiecto, & semel conueniunt ei semper, & in quocumque statu debent ipsi conuenire; ergo entitati quae semel conueniunt non habere partes, & simplicitatem, semper ei conueniunt in quocumque statu, ac proinde semper erit entitas simplex, & non habens partes, neque composita; maior illa sic probatur, quia ipsa entitas separata adhuc vel ipsa vt distinguitur, ab illa entitate per quam fit simplex, aut habet partes, aut non habet illas, si non habet; ergo adhuc separata, & quatenus distincta ab ea, per quam fingitur fieri simplicem talis entitas est simplex: ergo non fit simplex per illud additum, quod fingitur, nam idem est esse simplex ac non habere partes, quia quando aliqua entitas per se, vt distinguitur à quacumque alia habet aliquod praedicatum, vt habeat illud non indiget aliquo superaddito, v.g. quia homo ex se, & vt distinguitur à quocumque alio ente est animal rationale, vt sit tale non indiget alio superaddito; alias esset, & non esset per se animal rationale, sed entitas, quae simplex dicitur non habet partes ex se, & caret illis, quatenus distinguitur à quacumque alia entitate: ergo non caret illis per aliam distinctam entitatem à se; ac proinde vt fit simplex non indiget aliquo superaddito.

Si autem vt distinguitur, vel separatur ab entitate qua dicitur reddi simplicem illam entitatem habet partes distinctas inter se, & vnitas non poterit illud additum destruere distinctionem inter illas partes, & vnionem, & facere illas vnitas, & eandem entitatem, nam vt supra dixi, quae semel distinguntur nunquam identificantur.

Dices

Quæst. VI. Vtrum substantia habeat, &c. 597

41 Dices distinctionem inter illas partes, & vnionem posse destrui manentibus eisdem entitatibus, quia non distinguuntur per seipsas, sed potius per aliud à se distinctum, ac proinde posse identificari inter se faciendo vniam entitatem: simplicem, & indivisibilem.

42 Sed contra hanc solutionem insurgunt ea, quæ in prima ratione nostræ conclusionis dicta sunt, & etiam multa alia quæ diximus in metaphysica agendo de distinctionibus. Deinde si hæc solutio esset vera procedendum esset in infinitum; nam si vna res esset distincta ab alia per aliam entitatem; hoc est si fundaret distinctionem per aliud esse quod non sit ipsa formalis distinctio, quæro per quid distinguatur ab illa tertia entitate? aut per quid fundet distinctionem ab illa? si per seipsam idem dici posset de prioribus entitatibus, & præcite propter hunc effectum superflua est illa tertia, si per aliam procederet ulterius, & sic in infinitum, vt v. g. si hæc materia prima distinguitur ab illa materia per quantitatem distinctam ab ipsa materia, ab ipsa quantitate per quid distinguitur? non certe per quantitatem, cum illa sit aliud extremum illius distinctionis; ergo per seipsam; ergo eadem ratione poterit per se ipsam entitatem distinguere ab alia materia, sicut etiam materia non distinguitur realiter à forma per quantitatem sed per suam entitatem; ergo eodem modo vna pars substantiæ non est distincta ab alia, & ab vnione per aliquid superadditum sed per se ipsam, ac proinde non poterit tolli ab ipsis distinctio, nec fieri vniam, & indivisibilem entitatem per aliquid superadditum.

43 Præterea, quantitas non est capax vt per aliquid superadditum reddatur simplex, quia ex se habet distinctionem in partibus, & est composita; item homo non potest per aliquid superadditum reddi simplex, sed illa entitas propterea distinguitur ab illo addito, ratione cuius dicitur reddi simplex habet partes, & est composita; ergo non est capax recipiendi aliquid superadditum per quod reddatur simplex, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed tota ratio formalis propter quam quantitas, & homo non possunt recipere aliquid superadditum, ratione cuius habeant simplicitatem, est quia ex se sunt compositæ entitates; ergo si in illa entitate de qua loquimur datur eadem ratio formalis compositionis, & partium, dabitur idem effectus incapacitatis ad recipiendum aliquid superadditum per quod reddatur simplex.

44 Confirmatur, quia simplicitas dicit entitatem cum negatione partium vnitarum inter se: sed hæc negatio fundatur in ipso esse rei simplicis, ita vt præciso quocumque alio esse sufficienter fundetur in illo esse rei simplicis hæc negatio: sed post adventum ipsius quantitatis manet ipsa entitas rei simplicis: ergo manet etiam, & conservatur negatio, quæ fundatur immediate in ipsa entitate; maior est evidens; minor sic probatur, quia ipsa entitas rei simplicis adhuc vt distinguitur ab illa entitate in qua fingitur fundari illam negationem vel habet partes, vel non habet partes: primum impossibile est, vt probatum iam manet; ergo necessario secundum affirmandum est: ergo præcisa illa entitate distincta ab entitate rei simplicis entitas ipsius fundabit illam negationem; consequentia præcipua sic probatur, ideo conservata essentia hominis necessario conservatur negatio brutalitatis, quia illa negatio

fundatur in ipsa essentia immediate præcisa alia entitate, & etiam negatio, quæ constituit ens in esse vnus transcendentalis conservatur necessario conservata entitate, quia fundatur immediate in ipsa entitate entis: ergo conservata ipsa entitate substantiæ post adventum quantitatis, necessario conservabitur ipsa negatio per quam constituitur in esse simplicis, siquidem fundatur in ipsa entitate substantiæ.

Totum hoc argumentum cum sua confirmatio- 45 ne sic vergetur, quia omnia quæ sunt simplicia entia non sunt simplicia per aliquam entitatem distinctam ab ipsa entitate rei simplicis, v. g. Angelus est entitas simplex per suam ipsam essentiam, quia essentialiter est entitas spiritalis, & essentialiter distincta à quacumque entitate composita. Item punctum quantitatis per suum esse est simplex, & fundat immediate negationem compositionis; quod patet sic, quia si per aliam entitatem fundaret illam negationem partium propterea distinguitur ab illa entitate, interrogo an habeat partes, vel non? si non? sequitur intentum: si habet? debet habere partes intra rationem quantitatis cum punctum sit intra rationem quantitatis: ergo debet habere partes longas, vel latas, vel profundas, cum his tota compositio quantitatis circumscribatur: sed nullas habet harum, alias punctum vel esset linea, vel superficies, vel corpus: ergo.

Sed per vos materia prima ex se, est simplex, 46 & ex se caret partibus: ergo per suam ipsam entitatem, & non per aliquam entitatem positivam distinctam à se fundat negationem compositionis, & dicit simplicitatem: ergo semper ac conservatur eadem entitas, conservatur simplicitas materiæ primæ, sicut semper ac conservatur entitas Angeli, entitas Dei, & entitas puncti conservatur simplicitas eorum, quod adeo verum est, vt per nullam entitatem superadditam possit tolli simplicitas Angeli, puncti, &c. nec destrui carentia partium quæ in illis reperitur formaliter.

Vergetur, quia per nullam entitatem superad- 47 ditam, vt supra probavimus, potest res formaliter composita, vt v. g. quantitas, homo, &c. reddi simplex, ita vt in ipsa destruat composio, atque contrariorum eadem est disciplina, & ratio opposito sensu: ergo entitas simplex ex se, quæ opponitur compositæ per nullam entitatem superadditam potest reddi composita, ita vt destruat carentia partium, & simplicitas quæ formaliter reperiuntur in illa rationetalis entitatis superadditæ; sed materia prima ex se, & quatenus est separata à quantitate est simplex, & fundat carentiam partium: ergo per nullam entitatem superadditam potest amittere simplicitatem, & carentiam partium: sed quantitas est entitas superaddita materiæ primæ: ergo per additionem talis quantitas non tollitur carentia partium, & simplicitas, quæ dantur in materia primæ: ergo hæc absurda dicantur, dicendum est materiam primam ex se non esse simplicem, aut ex se non carere partibus: sed potius habere illas distinctas inter se.

Dices materiam primam vt separatam à quan- 48 titate non habere partes formaliter, habere tamen illas virtualiter, & ideo habere partes formales potentialiter, hoc est habere potentiam, vt eas accipiat formaliter à quantitate.

Sed contra primo, quia Angelus, & animus 49
Ffff 3 ratio

rationalis habent partes virtuales, & sic habent extensionem virtualement ratione cuius possunt esse in loco extenso, & divisibili, & animus rationalis potest informare materiam divisibilem, & extensionem formaliter; item punctum habet sua latera, seu partes virtualiter distinctas, ut probabimus in *Physicis disp. de compositione Continui*, & nihilominus, quia hæc entitates sunt formaliter simplices, nullam potentiam habent ut per aliquam entitatem superadditam, ut diximus habebant partes formales, & compositionem formalem inter illas propter rationem supra positam videlicet, quia simplicitas convenit tibi ex vi propriæ essentiae, & entitatis: sed licet materia prima habeat partes virtualiter est formaliter simplex, & caret partibus: ergo habet simplicitatem ratione suæ essentiae, & entitatis inseparabiliter omnino necessario ab ea: ergo nullam habet potentiam ut à quantitate superaddita habeat partes formaliter, & sic formaliter non habebit partes potentialiter.

50 Vergetur in vno contrario formali nulla datur potentia ut fiat alterum contrarium ratione alicuius entitatis superadditæ, & sic albedo non potest fieri nigredo. Paternitas non potest esse filiatio, rationale non potest esse irrationale, aut lux tenebræ propter aliquam entitatem superadditam illis: sed entitas simplex ex se opponitur entitati compositæ, quatenus una dicit negationem alterius, eo modo, quo irrationale dicit negationem rationalis; ergo nulla entitas simplex (ratione alicuius superadditi) habet potentiam ut fiat composita, sicut composita formaliter nullam habet potentiam; v. g. quantitas, ut ratione alicuius superadditi fiat simplex formaliter; sed materia prima in casu in quo superaretur à quantitate esset simplex formaliter, omnibusque formaliter careret partibus, etiam si virtualiter habeat illas; ergo nullam habet potentiam, ut ratione quantitatis superadditæ supra ipsam fiat composita formaliter, habeatque partes formales.

51 Dices simplex, & compositum non esse opposita, sed solum esse specie distincta.

52 Sed contra; quia implicat quod una species adhuc per potentiam Dei absolutam possit transire in aliam distinctam à se, nam eo ipso quod transit in aliam speciem destruitur prima, etiam si virtualiter contineat secundam, in quam transit, v. g. quando mixtum transit in elementa, quæ continet virtualiter, destruitur mixtum; & ratio est quia quoties fit nova species, fit etiam nova essentia; quia species, & essentia sunt idem, & destruitur essentia alia antecedens, sed entitas simplex est alia species ab entitate composita: ergo nullo modo potest transire entitas simplex in compositam.

53 Quod autem entitas simplex sit distincta species ab entitate composita sic patet, quia quoties unum ens dicit negationem alterius ex vi propriæ entitatis, & essentiae se habent ut duæ species, & unum distinguitur essentialiter ab alio, ut patet in rationali, & irrationali: sed ita se habent compositum & simplex, quia se habet sicut divisibile, & indivisibile: sed indivisibile dicit negationem partium, quas dicit divisibile, & compositum; ergo sunt species distinctæ: ergo una non potest transire in aliam adhuc divinitus.

54 Dices hoc totum verum esse in simplici, &

composito essentialiter, non autem in simplici, & composito integraliter; unde licet simplex essentialiter non possit transire in compositum essentialiter; bene autem simplex integraliter in compositum integraliter, & contra.

Sed contra evidenter, quia punctum in linea, ⁵⁵ instans in tempore, & mutatum esse in motu sunt simplicia integraliter solū, & nihilominus adhuc divinitus non possunt transire in motum, tempus, & quantitatem quæ sunt composita integraliter, itaque neque per potentiam Dei absolutam punctum potest fieri divisibile formaliter. Item non solum implicat ut angelus, & anima rationalis de novo reddantur compositi essentialiter, & quod de novo habeant partes essentielles, sed etiam implicat omnino ut reddantur de novo compositi integraliter, & quod habeant formaliter partes integrales etiam si habeant partes virtuales, sicut implicat ea, quæ distinguuntur tantum virtualiter, ut intellectus divinus, & voluntas, ratio entis, & ratio substantiæ in homine de novo distinguantur formaliter ratione alicuius superadditi: ergo non solum implicat transitus de entitate simplici essentialiter in entitatem compositam essentialiter; sed etiam transitus de entitate simplici integraliter in entitatem compositam integraliter; sicut è contra implicat, ut entitas formaliter composita integraliter, v. g. quantitas transeat in entitatem formaliter simplicem integraliter; & ratio universalis est, quia quæcumque simplicitas indicat in re simplici essentialiter, & entitatem distinctam à quacunque composita in eo genere in quo est alia simplex, sed una distincta essentia & entitas, non potest ratione alicuius superadditi fieri alia, & identificari cum illa, quia hæc omnia prædicata aut conveniunt rebus per identitatem cum proprijs essentijs, naturis, & differentijs, aut ratione negationis immediate fundatæ in proprijs essentijs entitatibus, & differentijs, ratione cuius immediate foundationis conservatis entitatibus, essentijs, & differentijs nullo modo potest destrui talis negatio, & ideo simplicitas, & negatio partium in anima rationali nullo modo possunt tolli ab ea; sed materia prima ex se est simplex, & caret partibus, ut anima rationalis: ergo nullo modo possunt tolli simplicitas, & carentia partium à materia prima.

Dices materiā secundum se non habere partes, ⁵⁶ sicut neque animus rationalis, sed cum hoc discrimine quod licet materia sola non habeat partes, eas tamen habet à quantitate, in quo differt ab anima rationali.

Sed hæc solutio, & discrimen quod affert inter ⁵⁷ materiam, & animum rationalem nihil habent novi, nam solutio eadem est quæ antea data fuit, ac proinde iam positus argumentis evidenter labefactatur, nam repetitio solutionis antea datæ repetitione dumtaxat argumentorum positiorum est refutanda, quibus etiam refutatur discrimen nuper traditum.

Deinde contra illam, & contra Thomistam sic ⁵⁸ argumentor, quia per vos materia non habet alias partes præter eas quas recipit à quantitate, (ac proinde quantitativis vocatis) & has assentis accipere ab illa materia prima, quia recipit quantitatem, quæ est ratio formalis illarum partium, sed animus rationalis per vos, quatenus est subiectum quantitatis (nam vos ait omnia accidentia, & præcipue quantitatem subiectari in anima

Quaest. V. Vtrum substantia habeat, &c. 599

anima rationali materia prima, & vnione simul quæ sunt totum recipit ipsam quantitatem; ergo habet eandem partes à quantitate ac materia prima; ergo eodem, & non diuerso modo se habent anima rationalis & materia prima.

59 Secundo contra illam extensionem partium, & distinctionem earum virtutem sic arguuntur, quia extensio, seu compositio virtualis non est extensio, vel compositio actualis formalis sed potentialis solum; ergo talis erit qualis actus, per quem extrahitur illa potentia; sed actus est quantitas, & accidens per te; ergo, virtualis extensio, & compositio substantiæ corporeæ vel erit accidens, vel erit in ordine ad extensionem, & compositionem actualem partium accidentalium. Tunc sic, sed substantia corporea non constituitur in ratione subiecti quantitatis, quatenus dicit compositionem virtutem reducibilem ad actum per quantitatem, sed quatenus in se substantialiter, & integraliter est composita, & diuisibilis formaliter, præceditque ipsam quantitatem, alias si substantia corporea ex se non esset formaliter composita, & diuisibilis integraliter pro priori naturæ quo concipitur quantitatem recipere esset inepta causa talis quantitatis, quia non præ-existeret cum omni ratione necessaria ad causandam, & recipiendam in se totam quantitatem, & partes diuisibiles eius; ergo vel dicendum est substantiam corpoream esse indiuisibilem, & ineptum subiectum quantitatis si habet solum extensionem virtutem, quod est absurdum, vel concedendum est ante quantitatem ipsam ex se habere partes substantiales integrales formaliter, ex quibus entitative componatur.

60 Dices extensionem illam virtutem reddere subiectum aptum ad recipiendam quantitatem.

61 Sed contra, quia illa extensio virtualis, per vos est tantum extensio potentialis; ergo actu non est extensio, sed quæ actu non est extensio substantialis, & entitativa non est sufficiens ratio constituendi subiectum ultimo, & proxime aptum ad recipiendam in se formam actu, & formaliter extensam, & diuisibilem; ergo.

62 Vegetur evidenter quia ut quantitas det suum effectum formalem debet informare diuisibili modo formaliter subiectum cui tribuit effectum formalem, nam forma formaliter diuisibilis informat diuisibili modo formaliter habendo proprias partes formales, vnam extra aliam in distinctis subiectis, quod præcipue contingit hoc in quantitate, ne duæ partes quantitatis penetrantur inter se essendo in eadem simplici, & indiuisibili entitate; sed non potest forma diuisibili modo formaliter inesse, quin ex parte subiecti detur diuisibilitas formalis partium, & pluralitas illarum formaliter, ita ut vni correspondeat inhaerentia vnius partis quantitatis, & alteri correspondeat inhaerentia alterius partis; ergo diuisibilitas formalis ex parte subiecti, & pluralitas formalis partium ex parte eiusdem est conditio necessaria ad informationem quantitatis, & ad non est effectus formalis quantitatis. Probatur hæc vltima consequentia quia effectus formalis quantitatis non supponitur ad effectum formalem illius; alias idem ad se ipsum supponeretur; sed omnis conditio ex parte causæ supponitur ad effectum formalem illius causæ; ergo diuisibilitas quæ est conditio ad informationem, cum in-

formatio sit causalitas formæ supponetur necessario in genere causæ formalis ad effectum formalem quantitatis; ergo non est ipse effectus formalis quantitatis, cum ipse effectus non supponatur ad seipsum in eodem genere causæ formalis; unde diluta est iam responsio dicentium supponi in genere causæ materialis, & subleui in genere causæ formalis.

Nam ut nunc probauimus, diuisibilitas formalis, seu ratio partium in subiecto est conditio ex parte ipsius causæ formalis ad informationem, & effectum formalem; ergo debet etiam supponi ex parte causæ formalis in genere causæ formalis ad effectum formalem; ergo non est effectus formalis.

Et vegetur, quia materia prius natura creatur, & habet esse quam recipiat quantitatem; ergo prius etiam natura intelligitur ut habens totam entitatem suam in qua recipiat totam quantitatem, & diuersas partes suæ substantiæ formales, & actuales in quibus diuersas partes actuales, & formales quantitatis recipiat; ergo non habet à quantitate partium distinctionem.

Declaratur amplius, quia si materia prima non præsupponeretur cum actuali entitate, sed reciperet illam à quantitate non posset esse subiectum secundum propriam entitatem, nec secundum illam posset recipere entitatem formalem actualem quantitatis; sed quantitas non solum recipitur in materia prima secundum entitatem quomodocumque; sed etiam secundum partes formales actuales; ac proinde materia prima recipit partes formales quantitatis; ergo non solum debet præsupponi materia prima ad receptionem quantitatis habendo entitatem actualem à se ad recipiendam entitatem actualem quantitatis; sed etiam habendo formaliter actuales partes ad recipiendum actuales partes quantitatis formaliter, quia sicut se habet entitas actualis subiecti ad recipiendam entitatem actualem formæ, ita se habent partes actuales subiecti ad actuales partes formæ recipiendas; sed quia materia prima recipit entitatem actualem quantitatis præsupponitur ad quantitatem creatam cum actuali entitate, ita ut non accipiat à quantitate actualem entitatem; ergo similiter, quia recipit partes actuales quantitatis debet præsupponi ad illas partes recipiendas creatas cum actualibus partibus formaliter.

Maiores prima est evidens, quia forma non recipitur in proprio effectui formali, alias anima rationalis in homine reciperetur, ac proinde forma non recipitur in eo quod tribuit subiecto, neque subiectum recipit formam in eo, quod accipit à forma; sed potius in illo esse quod præsupponitur ad formam, & non recipit à forma, & sic anima rationalis recipitur in esse materiæ primæ quod non accipitur à forma; sed præsupponitur ante ipsam; ergo si materia prima non præsupponeretur secundum esse actualem ad quantitatem, &c. non reciperet illam in illo esse actuali.

Nec valet respondere materiam ex se seu prius natura habere partes in potentia non in actu; non enim hoc potest subitineri, quia subiectum eo modo debet præsupponi actualiter, quo recipit formam, & sic debet præsupponi cum entitate actuali, seu in actu, & non solum in potentia propter proportionem subiecti cum forma;

maior ergo si recipit formam cum partibus in actu, & non in potentia, etiam debet præsupponi cum partibus in actu, & non in potentia.

68 Deinde interrogo quid sit habere partes in potentia: nam si hoc sit habere illas unitas, & componentes unum totum, & non ut entia actu divisa, & separata, sic verum est illas partes esse in potentia; tamen hoc nihil ad rem spectat; nam etiam sub quantitate continua illae partes sunt illo modo in potentia, & non in actu, quam verius, ac melius dicuntur entia in potentia quam partes in potentia; si autem habere partes in potentia sit revera non habere illas: sed expectare illas à quantitate; hoc plane est impossibile: quia illae partes sunt substantia, non potest autem quantitas formaliter dare aliquid substantiae: secundo, quia illae partes sunt subiectum partium quantitatis, non potest autem accidens formaliter dare subiecto entitatem eius tertio, quia totum nihil aliud est, quam partes eius simul sumptae, & unitae; ergo si materia ex se, & prius natura, quam intelligatur habere quantitatem, habet integram suam entitatem, habet etiam entitatem suarum partium.

69 Dices materiam primam ut distinctam à quantitate ex se neque esse simplicem, nec compositam.

70 Contra, quia inter duos terminos contradictorie oppositos non potest dari medium, quia oppositio contradictoria est immediata, & maxima, unde subiectum de quo loquimur per illos terminos necessario debet esse sub aliquo ex illis, nec potest abstrahere à parte rei ab aliquo ex ipsis essendo in statu medio: sed termini illi compositio, & simplicitas includunt oppositio nem contradictoriam, nempe compositionem partium, & non compositionem: ergo materia prima vel habet compositionem, vel non habet compositionem, quodlibet enim vel est, vel non est; si habet compositionem partium habeo intentum, si non habet, habebit simplicitatem, simplex enim est quod nullas habet partes, nam ideo punctum, seu indivisibile quantitatis est simplex, quia non habet partes: sed materia prima non habet partes: ergo est simplex; ergo falsum est dicere, quod materia prima neque est composita, neque simplex à parte rei, prout distinguitur, & separatur à quantitate.

71 Dices materiam prout separatam à quantitate non esse negative sine partibus, sed præcise ac proinde non esse simplicem.

72 Sed contra primo, quia licet quantitas possit in statu intentionali, hoc est, per cognitionem esse præcise, tamen in statu reali (de quo loquitur questio, & non de intentionali) videlicet quatenus realiter distinguitur à quantitate, vel quatenus divinitus separata à quantitate conservatur sine illa, non potest villo modo se habere præcise respectu partium, sed necessario à parte rei prout sic separata debet habere partes vel non habere illas, si non habet à parte rei est cum negatione illarum, unde negative, & non præcise, ac proinde erit simplex sicut punctum; si habet: ergo non habet illas à quantitate cum secundum se habeat illas; ratio huius est, quia à parte rei, ut dixi, non datur medium inter negationem, & affirmationem respectu eiusdem, unde si res non est sub affirmatione, necessario debet esse sub negatione, ut ipso lu-

mine natura manifestum est, neque enim hoc est simile, ut bene advertit Pater Hurtado, distinctione rationis, quia unus conceptus præcise distinguitur ab alio, ex qua præcise non bene concluditur negatio alterius conceptus; at vero in distinctione reali, si unus conceptus est realiter extra essentiam alterius, tota illa essentia est essentialiter sine tali conceptu, ut essentia hominis non est essentialiter alba, quia albedo realiter distinguitur à tota hominis essentia; similiter compositio quantitatis est extra totam essentiam materiae, & ab illa realiter distincta; ergo essentia materiae est aliquid non includens quidditative quantitatem; ergo illud ens in suo conceptu quidditative habet compositionem distinctam à compositione quantitatis, & sic habemus intentum; vel caret illa compositione quidditative, sic autem est tam quidditative simplex quam anima rationalis, nec erit capax extensionis localis; quae in re extensa requirit pro fundamento partium multitudinem, quae accipiant extensionem, ita ut substantia capitis non sit substantia cordis, alioquin non differt ab anima.

Secundo contra, quia punctum quantitatis 73 nullo modo potest esse à parte rei solum in statu præcise: sed potius debet esse in statu negative partes, aut cum partibus, & quia non est cum partibus debet esse in statu negationis partium, & idem est de anima rationali, & de Angelo, & contra vero, quia quantitas non potest esse in statu negativo partium debet esse in statu positivo habendi partes, ac proinde in statu compositionis, & hoc est adeo universaliter verum, ut nulla sit in rerum natura entitas cui non conveniat, aut carentia compositionis, aut compositio sine eo quod aliqua entitas in rerum natura possit præcise ab aliquo ex his duobus statibus, cum contradictorie, & sine medio opponantur: sed materia prima separata divinitus ab omni quantitate debet esse in aliquo ex his statibus, ita ut aut sit sub carentia partium, aut cum partibus: sed per vos non habet partes separata à quantitate: ergo negat illas: ergo est simplex ac proinde non præcise à simplicitate, & compositione.

Deinde rogo utrum in illo conceptu præcise 74 sine à parte rei partes substantiales realiter distinctae à partibus quantitatis, sicut in bruto est realiter animal distinctum realiter ab homine? si sunt; ergo materia non habet partes formaliter à quantitate, si non sunt; ergo tota substantia materiae est substantialiter indivisibilis à parte rei. Præterea, quando concipitur materia etiam si concipiatur cum quantitate, concipitur aliquid in recto quod est de essentia materiae, & in obliquo connotatur quantitas quae est accidens materiae, id quod concipitur in recto, rogo si ne sub affirmatione compositionis, aut sub negatione illius? si est sub affirmatione: ergo habet partes, si sub negatione non habet illas, nec poterit habere, quia quod semel est simplex nunquam potest habere partes: ergo nec sub quantitate habet illas.

Dices materiam primam non posse conservari 75 à Deo sine omni quantitate.

Sed contra, quia hoc irrationale est, nam si 76 Deus conservat quantitatem sine omni substantia, quomodo negari potest posse conservari substantiam sine omni quantitate? cum multo ma-

Quæst. VI. Vtrum substantia habeat, &c. 601

ior sit dependentia accidentis à substantia quam substantiæ ab accidente. Item quia hæ sunt res absolutæ, & realiter distinctæ; ergo sicut una sine alia, ita & vice versa altera sine altera conservari potest, de quo argumento videri possunt plura apud Gabriel.

78 Quod de novo sic amplius confirmo, quia si substantia non posset esse separata divinitus, & conservari in statu separationis à quantitate erit modus quantitatis: sed hoc est summum absurdum: ergo substantia bene potest conservari separata ab omni quantitate: maior sic patet, quia nihil aliud est modus ut patet ex eius definitione, nisi entitas tam debilis, & tam diminuta, ut actu petat essentialiter, & non potentialiter esse unitam rei sine qua nullo modo potest divinitus conservari, imo si hæc non est definitio modum mihi adversarij aliam quam certe non dabit: ideo enim colligimus actionem, & unionem esse modos rerum, quia non possunt separari à rebus divinitus, & è contra colligimus accidentia panis esse res, & non modos, quia separantur divinitus à substantia panis: ergo si substantia non potest divinitus conservari separata à quantitate: ergo erit modus quantitatis.

79 Denique, quia ex conservatione substantiæ sine omni quantitate nulla probabilis contradictio inferri potest.

SUBSECTIO III.

In qua quantum argumentum proponitur.

80 Quarto principaliter sic argumentor, quia vel quantitas tribuit partes substantiæ in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis: sed in neutro genere: ergo nullo modo tribuit partes substantiæ. Prima pars minoris patet ex ipsis terminis ab ipsisque adversarijs conceditur, nam accidens passivum ut est quantitas nullo modo est productiva, non solum entitatum substantialium ut sunt partes materiæ primæ: sed neque aliorum accidentium, ut videtur esse in albedine quæ nullo modo est productiva in genere causæ efficientis alicuius accidentis, & multo minus substantiæ licet sit perfectior quantitate ex eo quod sit qualitas, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia est entitas pure passiva. Secunda pars minoris sic primo demonstratur, quia vel causat in genere causæ formalis partes substantiales materiæ primæ quoad entitatem substantialem earum, & hoc non, ut patet ex prima ratione nostræ conclusionis, vel causat in genere causæ formalis tales partes quoad distinctionem earum, ita ut reddat illas primario ac formaliter distinctas: sed hoc est impossibile; ergo nullo modo causat partes materiæ primæ in genere causæ formalis, minor sic demonstratur, quia ratio formalis constitutiva distinctorum in esse distinctorum formaliter debet esse distinctio formalis, sicut ratio formalis constitutiva in esse unius debet esse unitas, & ratio formalis constitutiva in esse eiusdem seu identificari debet esse identitas, sicut ratio constitutiva albi in esse albi debet esse albedo, sicut constitutiva lucidi debet esse lux, &c. & ratio est manifesta, quia illa est ratio formalis alicuius concreti, quæ fuerit abstractum talis concreti.

R. P. Alph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

ti, & quæ in abstracto habuerit eandem denominationem quam concretum continet in concreto, anima enim dicitur ratio formalis constitutiva animati, & humanitas hominis, quia sunt abstracta, quæ continent in abstracto eandem denominationem, quam continent concreta, quæ constituuntur ab illis: sed solum distinctio formalis est abstractum concreti distincti, & habet eandem denominationem in abstracto, & per modum formæ, ac habet distinctum in concreto, & per modum effectus formalis; ergo solum distinctio potest in genere causæ formalis constituere distincta in esse distinctorum formaliter.

Sed quantitas nullo modo est distinctio formalis; ergo quantitas nullo modo potest constituere partes substantiæ in esse distinctarum formaliter, in genere causæ formalis; minor hæc in qua est difficultas sic demonstratur, quia distinctio formalis, aut est negatio formalis, quæ unum non est aliud, hoc est quæ unum negat se esse idem cum alio, & identificari cum illo, ut communior sententia docet, admittiturque à Thomistis insistentibus vestigijs Divi Thomæ, ut ipsi asserunt, quod late dictum est in metaphysica *disp. de distinctionibus*; sed quantitas nullo modo est negatio formalis, cum sit entitas realis positiva, cuius munus est reddere substantiam molem corpoream, ut patet ex dicendis in hoc prædicamento, distinguiturque à quacunque negatione ratione positivi esse quod habet; ergo secundum hanc acceptionem distinctionis quantitas nullo modo est distinctio formalis.

Vel distinctio est relatio prædicamentalis formaliter, quam sententiam ut probabiliorē defendi in metaphysica loco citato, ita ut sit relatio, quæ immediate fundatur in re quæ distinguitur per illam, & quam immediate refert actualiter, & formaliter ad aliam rem à se distinctam; unde si est distinctio substantiæ respectu alterius substantiæ, debet esse relatio quæ immediate fundatur in tali substantia: sed quantitas nullo modo est relatio formalis, quia una substantia immediate refertur ad aliam; ergo quantitas in hac acceptione non est formalis distinctio: minor hæc probatione non patet, admittitur enim ab adversarijs, & patet ex dictis in prædicamento de relatione. Deinde, quia relatio formalis prædicamentalis si distinguitur ab immediato fundamento est modus; quantitas autem est res si non distinguitur ab immediato fundamento, evidenter sequitur relationem immediatè fundatam in substantia esse idem cum substantia; atqui quantitas non identificatur cum substantia præcipue in sententia Thomistarum; ergo quantitas non est relatio formalis. Præterea, quia relatio actualis nullo modo potest esse sola sine alia entitate actuali, quæ sit terminus illius, ut in confesso est apud omnes Dialecticos; atqui quantitas non petit ad suum esse actuale aliam entitatem actualem ad quam referatur, nam quantitas sola potest conservari in universo, & præterea potest existere sine substantia cui inhaerebat, ut videtur esse in Eucharistia; ergo quantitas non est relatio, quia relatio formalis, & prædicamentalis nullo modo potest existere, & conservari sine fundamento cui innititur, & sine termino ad quem refertur.

Aut denique distinctio formalis est relatio transcendentalis respectu rei distinctæ, & sic de-

gggg bet

bet esse de essentia illius, & ad minus debet identificari cum immediato constituto per illam, ut videre est in relatione transcendentali intellectus ad obiectum; materiae primae ad formam, &c. sed quantitas neque identificatur cum substantia ut iam diximus, neque est de essentia substantiae partialis quae distinguitur per illam; ergo quantitas nullo modo est distinctio formalis, quia una substantia partialis distinguitur ab alia; nec potest dici, quod quantitas sit unitas substantiae partialis, ut constituat eam in esse unius, ac per consequens in esse divisa a qualibet alia, unitas enim reddit rem indivisam in se, & divisam a qualibet alia.

84 Quia licet verum sit quod quantitas per suam unitatem accidentalem constituat substantiam in esse unius quanti, sicut una albedo constituit in esse unius albi, quia unum album, & unum quantum sunt concreta accidentalia, ac proinde debent constitui per formas accidentales; nihilominus tamen sicut albedo, lux, & cetera accidentia non possunt constituere substantiam in esse unius substantiae, ita similiter quantitas non poterit constituere substantiam in esse unius formaliter; ratio autem evidens a priori est, quia attributa entis non conveniunt enti mediantibus alijs distinctis a se, sed immediate ex vi propriae essentiae, ut videre est in veritate, & bonitate, quae conveniunt enti sine aliquo medio; ergo similiter unitas, unde sicut quodcumque ens immediate est verum, & bonum, ita immediate est unum; sed substantia in esse substantiae per se, & non per quantitatem est ens; ergo per se, & non per quantitatem, seu mediante illa est vera, bona, & una substantia.

Item, quia attributa haec in sententia Thomistarum, aut dicunt negativum, aut positivum; si positivum identificantur cum ipsa substantia, quod non habet quantitas cum distinguatur realiter a substantia; si negativum debet esse negatio immediate fundata in substantia, & distincta a quocumque alio positivo: atqui quantitas nullo modo est negatio formalis ut iam diximus ac proinde non erit unitas quae dividat unam substantiam ab alia; ergo quantitas nullo modo est distinctio substantiae; ergo non constituit substantias componentes materiam primam in esse distinctarum formaliter.

85 Secundo sic demonstratur eadem pars minoris, quia in casu, quem supra proposuimus, quo Sacerdos consecrat dimidiam partem hostiae, & ex vi consecrationis destruitur illa pars substantiae consecrata, remanet alia pars substantiae quae non consecratur sub quantitate, tunc enim Deus potest destruere quantitatem manente eadem parte substantiae non consecrata omnino separata a quantitate quae destruitur: Tunc sic, sine dubio haec substantia quae nunc est non solum distinguitur a quantitate quae destruitur modo, & a qua divinitus separata manet pars substantiae, sed etiam distinguitur ab illa parte substantiae quae destructa est, & conversa in substantiam Christi, quia haec substantia partis non consecratae existit nunc a parte rei, & est actu vere, & realiter, & illa, quae consecrata est, nunc non est vere, & realiter; sed ea quae ita se habent ut existente una altera non existat, distinguuntur realiter in omnium sententia; ergo nullo modo potest dubitari, quod haec dimidia pars, & illa dimidia pars distinguantur realiter: ergo distinctio, quam actu habet

haec dimidia pars separata ab omni quantitate, & ab illa parte quae destructa nunc est, non potest causari formaliter a quantitate: patet haec consequentia, quia impossibile est quod actu deatur effectus formalis non existente, sed destructa forma; sed destructa est omnis quantitas illius partis, quae est per vos causa formalis distinctionis, & actu non existit: ergo non potest causare formaliter talem distinctionem.

Dices illam partem, quae nunc est, non distingui actu ab illa parte quae destructa est, quia ad distinctionem actualem unius rei exigitur necessario ut utrumque extremum existat actu, ut patet ex his quae diximus in metaphysica.

Sed contra, quia bene potest Deus reproducere illam partem destructam per consecrationem, ita ut actu ex vi talis reproductionis existat etiam separata ab omni quantitate; atqui tunc simul actu existerent illae duae dimidiaes, & in duobus distinctis locis una divisa ab alia; ergo iam actu, & formaliter distinguuntur, & non possent distingui per quantitatem, quia nulla est, & ambae existerent separatae a quantitate; ergo per se ipsas distinguuntur, ac proinde distinctio non erit effectus formalis quantitatis.

Dices, neque entitatem partium, neque distinctionem earum causari a quantitate formaliter, causari tamen ab illa partialitate seu esse partium illarum.

Sed contra, quia esse partium supra entitatem earum nihil addit nisi vel relationem praedicamentalem, quae est impertinens ad propositum cum sit posterior compositione, & unionem partium, & inde resultans, vel unionem inter entitates partiales ad componendum totum, & haec etiam supponitur ordine naturae inter partes materiae primae, & consequenter rationem partium illarum. Deinde, quia unio harum partium, quae per se immediate confurgit totalitas entitatis materiae non potest formaliter fieri per aliquod accidens, alioqui non posset ex illis partibus unum per se fieri, neque una substantia; ergo etiam illa unio est substantialis, & consequenter conveniens materiae ex se, & ut praecedit quantitatem. Denique, quia supponitur prioritate naturae ante quantitatem tota entitas materiae, & consequenter tota entitas partium eius, & non possunt supponi omnes ut actu divisa, id enim impossibile est, alias non introduceretur una forma, & una quantitas; ergo ut unitas: ergo unio supponitur.

Dices praeter unionem partium dari in partibus rationem incompletionis, & hanc causari a quantitate formaliter.

Sed contra, quia ratio incompleti est substantia, nam substantia partialis est incompleta per suum ipsum esse substantiale, ut videre est in materia prima, & in forma rationali, quae per proprias entitates, & naturas sunt incompletae entitates; unde ratio substantiae ut sic, sicut transcendit rationem completi in completa substantia, ita ratio substantiae ut sic transcendit differentiam incompleti in incompleta substantia; unde sicut est vera haec praedicatio Deus quatenus est completus realiter est substantia, ita est vera haec praedicatio anima rationalis in quantum est incompleta est substantia realiter, ac proinde sicut ratio completa identificatur cum ratione substantiae in homine, & in Angelo, &c. ita ratio incompleta, in anima, & in materia prima identificatur

Quaest. VI. Vtrum substantia habeat, &c. 603

catur cum ratione substantiae, sed quantitas non potest constituere substantiam in esse substantiae formaliter, ut patet ex prima ratione, nec potest tribuere subiecto aliquid esse quod sit substantia in genere causae formalis, ut patebit ex dicendis: ergo non potest dare incomplectionem substantiae, quia talis incomplectio est substantia realiter sicut completio substantiae est substantia realiter. Tandem quia ex ipsa ratione substantiae, & ex differentia incompleti metaphysice fit vnum ens per se substantiale: ergo talis differentia incompleti est realiter, & metaphysice substantialis: sed aliquid substantiale non provenit formaliter ab accidenti in genere causae formalis: ergo neque differentia incompleti provenit formaliter a quantitate.

92 Dices, praeter rationem incompleti dari ordinem seu aptitudinem ad componendum, ratione cuius pars constituitur in esse partis, & hanc provenire a quantitate.

93 Sed contra primo evidenter, quia quale est exercitium alicuius aptitudinis est ipsa aptitudo, sed exercitium aptitudinis ad componendum est vniio seu compositio inter illas partes, & haec est substantialis, & non accidentalis ut iam probavi: ergo etiam aptitudo, seu capacitas ad talem vniionem, & compositionem est substantialis, seu ipsa substantia rei, ut videre est in capacitate materiae primae respectu vniionis ad animam, & compositionis cum ipsa, quae est ipsa substantia materiae; ex eo, quod exercitium illius quae est vniio seu compositio est substantialis: sed quantitas in genere causae formalis non potest causare substantiam: ergo non potest causare talem aptitudinem ad componendum.

94 Declaro amplius hoc, quia ratio incompleta in parte integrali homogenea, qualis est in partibus materiae primae est talis conditionis ut sine aliquo addito, sed solum per destructionem actualis vniionis desinit denominare talem partem, ita ut substantia, quae antea per vniionem erat pars, nunc per destructionem vniionis dicatur tota, unde per id constituitur in esse partis potentialis per quod constituitur in esse totius, sed tota substantia in esse totius non constituitur per quantitatem, siquidem separata quantitate manet tota substantia: ergo neque in esse partis potentialis constituitur per quantitatem, & a fortiori neque in esse partis actualis, quia in esse talis constituitur per vniionem quae est substantialis.

95 Confirmatur: quia quantitas, quando est divisa ab alia per se ipsam sine aliquo addito est tota, & est pars potentialis, cum ratio totius, quae convenit tali quantitati divisa sit intra genus integralitatis, quod petit hoc, transit autem de tota, & de parte potentiali ad esse partis actualis per solum additionem vniionis, & quia talis vniio immediate, & per se convenit partibus cum talis vniio sit intra genus quantitatis (propter quod talis vniio non potest causari in genere causae formalis ab alio ente reali quod sit extra latitudinem quantitatis) convenit per se, & immediate tali quantitati ratio partis: sed substantia materiae primae est intra genus totius integralis: ergo per se ipsam sine aliquo addito est tota, & est pars potentialis, & quando transit ad esse partis actualis transibit immediate per solum vniionem substantialem, & per solum additionem compositionis substantialis supra ipsam, quae non poterit causari in genere causae formalis ab alia entitate, quae

R. P. Adep. de Penafel. Theol. Schol. Tom. I.

sit extra totam latitudinem substantiae: ergo absolute dicendum est neque partialitatem, neque rationem partium posse formaliter causari in substantia a quantitate.

Dices a quantitate causari distinctionem fundamentalem partium materiae primae, non autem distinctionem formalem propter rationes supradictas, & hoc solum sufficere ut quantitas formaliter causet partes substantiae.

Sed contra manifeste, quia per id distinguitur 97 fundamentaliter una res ab alia per quam constituitur in suo esse; & per quod fundat distinctionem formalem: sed unaquaeque res substantialis constituitur per esse substantiale in suo esse, v.g. homo constituitur in esse hominis per ipsum esse substantiale hominis, & quantitas non potest constituere hominem in esse hominis, quia esse hominis est substantiale, & quantitas est accidens: ergo per suum ipsum esse substantiale res substantialis distinguitur fundamentaliter ab alia, & ratio a priori est manifesta, quia unicuique rei convenit differre ab alia per suam differentiam: sed differentia substantiae est substantialis: ergo per esse substantiale distinguitur una res ab alia, idem enim est distinguere ac differre, quod autem differentia sit substantialis patet, quia genus, & differentia rei sunt eiusdem rationis inter se, & cum re quam constituunt, imo identificantur cum illa realiter; sed genus est substantia, & res constituta per genus, & differentiam est substantia: ergo differentia similiter erit substantia; ac proinde id per quod distinguitur una substantia ab alia, erit substantia, & sic non poterit causari a quantitate formaliter.

Quod autem fundet substantia distinctionem 98 formalem per se ipsam sine controversia est apud Doctores, nam licet ipsi dubitent, an distinctio formalis sit ipsa entitas rei quae distinguitur, v.g. in substantia ipsa entitas substantiae, nihilominus nullus hucusque dubitavit de fundamento distinctionis; sed omnes sine controversia docent tale fundamentum esse ipsam substantiam, sed quantitas non potest causare substantiam in genere causae formalis, ut iam diximus: ergo neque fundamentalem distinctionem.

Tandem potest responderi dari distinctionem in 99 partibus substantialibus accidentalem, & hanc causari a quantitate.

Sed contra, quia aut illa distinctio convenit 100 parti materiae primae substantiali, quatenus substantialis est, aut quatenus quanta est; si hoc secundum non est ad rem, quia iam omnes fatemur sicut substantia constituitur in esse quanta per quantitatem, ita eam constitui in esse vnius, & distincta quanta per vnam, & distinctam quantitatem, & in hoc sensu concedimus dari in substantia distinctionem accidentalem ab alia, quia vnum quantum quatenus quantum ex eo quod sit concretum accidentale accidentaliter distinguitur ab alio: sed una pars substantiae quatenus affecta est quantitate partiali, aut parte quantitatis est vnum quantum: ergo concretum accidentale: ergo quatenus tale distinguitur accidentaliter ab alia parte affecta quantitate quatenus quanta est illa, quis enim de hoc dubitabit: ergo talis distinctio causabitur formaliter a parte quantitatis, sed de hac non quaerimus, si vero de prima distinctione loquantur adversarii in sua solutione, ut debent loqui, quia de hac controversia in hac quaestione, cum pro certo habeatur, quando di-

Gggg 2 videtur

videtur brachium à corpore; & quando in casu supra posito de consecratione dimidiæ hostiæ destruitur vna pars substantiæ ab alia, non solum dividi, & separari quantitatem brachij à quantitate corporis, sed etiam vere, & realiter substantiam brachij à substantia corporis, & in secundo casu nihil quantitatis destructo, destrui vere, & realiter dimidietatem substantiæ hostiæ remanente alia dimidietate substantiæ, ac proinde separari tales partiales substantias vere, & realiter omnium maxima separatione, sed ea quæ separantur realiter distinguuntur realiter, & eo modo quo separantur distinguuntur: ergo non solum distinguuntur ut quantæ sunt substantiæ partiales, sed etiam ut substantiæ sunt; ergo substantialiter, seu substantiali distinctione; sed hæc substantialis distinctio sive sit fundamentalis, sive formalis, ut patet ex iam dictis, non potest causari formaliter à quantitate; ergo distinctio illa quæ constituit partes substantiales in esse partium non fit formaliter à quantitate, licet alia accidentaliter, de qua non loquimur, possit causari à quantitate; ergo licet partes quantas, seu quantitativas, accipiat substantia à quantitate, non tamen partes substantiales.

SVBSECTIO IV.

In qua alia argumenta ponuntur.

101 QVinto sic argumentor; principaliter, quia nulla entitas potest transire de termino contradictorio ad terminum contradictorium, quin primus destruat per adventum secundi; sed substantia separata à quantitate divinitus est in termino contradictorio negativo partium substantialium, & compositionis substantialis inter illas; ergo quando transit ex vi quantitatis ad habendas partes substantiales, & compositionem substantialem inter illas, quod est alterum extremum contradictorium affirmativum destruit terminum contradictorius negativus partium, & compositionis substantialis; sed hoc est impossibile (nam ut supra probavimus talis terminus contradictorius negativus est simplicitas aut negatio, quæ convenit rei ex vi propriæ naturæ, & essentia, ac proinde conservata eadem substantia rei non potest destrui; ergo si ex vi quantitatis non destruitur entitas materiæ primæ: sed manet eadem sub quantitate, quæ antea manebat, sine illa non destruetur talis negatio partium; videantur supra dicta ad tertium argumentum pro nostra conclusionem; ergo impossibile est quod substantia ex vi quantitatis transeat ad affirmationem partium, qui est terminus positivus contradictorius; unde si sub quantitate habet partes substantiales, sine quantitate etiam habebit illas, quod sic demonstratio aliter seu à contrario sensu, faciendo idem argumentum quando materia prima est sub quantitate habet partes substantiales, unde est sub termino affirmativo, seu positivo partium substantialium: ergo quando ex vi separationis à quantitate transit ipsa materia prima ad negationem partium, qui est terminus contradictorius negativus partium substantialium, & compositionis substantialis, destruentur sine dubio omnes partes substantiales, & uniones inter illas; ergo destruetur etiam, & nullo modo poterit conservari tota entitas, & substantia materiæ primæ, quod vos

negatis, & à me supra demonstratum manet.

Patet hæc consequentia, quia ut supra probavi in prima ratione, tota entitas materiæ primæ non distinguitur, sed potius est idem à parte rei cum omnibus partibus integralibus simul sumptis, & unitis; sed nullo modo potest destrui eadem entitas realiter, & vere divinitus, & eadem entitas simul conservari divinitus; alias idem esset, & non esset simul, quod est omnino impossibile; ergo si ex vi separationis à quantitate destruantur omnes partes simul sumptæ, & unitæ materiæ primæ, nullo modo poterit divinitus conservari entitas materiæ primæ; sed conservatur per vos: ergo conservantur omnes partes simul sumptæ, & unitæ cum omni distinctione substantiali, quam habebant sub quantitate; ergo sicut antea erant substantialiter distinctæ sub quantitate; ita eodem modo manerent substantialiter distinctæ post separationem à quantitate, quia non potest vna res ab alia realiter distincta, ita identificari cum illa, ex vi solius ablationis accidentis, ut ex utraque fiat vna simplex; quia illa non esset conservatio præexistens entitatis: sed potius conversio eius in vnam tertiam simplicem: ergo si non est conversio, sed conservatio eiusdem entitatis materiæ primæ; ergo erit etiam conservatio omnis illius, quod est idem cum entitate materiæ primæ, quales sunt omnes partes substantiales materiæ primæ, simul sumptæ, & unitæ; nam partes materiæ non manerent in eo casu omnes inter se divise, & separate, id enim non minus impossibile est apud Thomistas, quam quod quantum sit divinum in omnem suam partem; manebunt: ergo unitæ, & componentes vnam materiam: ergo hæc integritas ratio partium, & compositio inter illas non potest causari formaliter à quantitate: prima, & principalis maior lumine naturali patet; alias eadem entitas existeret simul sub duplici termino contradictorio; nam si entitas quanto transit à negatione ad positivum non destruitur negatio, sed conservatur in tali entitate transeunte, erit conservata negatio cum termino illo ad quem transit illa entitas, si quidem terminus ad quem transit acquiritur de novo per talem transitum, & per talem acquisitionem existit in tali entitate transeunte; ergo existunt simul negatio, quæ conservatur in entitate, & affirmatio quæ de novo acquiritur; sicut v.g. si aer per transitum à tenebris ad lucem conservaret tenebras, & non amitteret illas, sine dubio simul esset sub tenebris, & sub luce, sed negatio, & affirmatio sunt contradictoria: ergo eadem entitas simul esset sub contradictione.

Ut evidentiùs pateat hoc quintum argumentum volo concedere adversarijs per conjunctionem cum quantitate in materia distinguere carentiam, seu negationem partium, ac proinde sub quantitate habere partes.

Sed contra; ergo remanet eadem materia prima sub quantitate, quæ erat sub carentia partium; ergo talis materia prima distinguitur à partibus, quæ destruant ipsam carentiam in materia prima. Patet consequentia; materia prima, quæ erat sub illa carentia partium potest separari ab ipsis partibus realiter, sed quod potest separari ab alio realiter distinguitur ab illo realiter; ergo materia prima distinguitur ab illis partibus realiter; ergo non sunt partes integrales substantiales componentes ipsam materiam primam; patet hæc consequentia; quia in vestra sententia, compositum integrale

regale non distinguitur ab omnibus proprijs partibus simul sumptis, & vnitis, vt videre est in tota quantitate, quae non distinguitur ab omnibus partibus quantitativis simul sumptis, & vnitis, & quod evidentijs ab omnibus conceditur est, vt nullo modo compositum integrale possit separari aut localiter, aut per destinationem ab omnibus eius partibus simul sumptis, & vnitis. Quantitasne huius parietis potest existere separata ab omnibus partibus quantitatis proprie priorius minime alias non essent partes illius: unde enim colligimus evidenter partes integrales Petri non esse meas partes integrales, nisi quia videmus illas esse separatas à me, & ratio est manifesta, quia omnis pars quae actu est talis, actu debet esse in toto: sed id quod est separatim à toto actu non est in toto: ergo si illae partes non sunt in toto, sed separatae ab illo erunt partes actu, & non partes actu totius, ne ergo hæc absurda dicantur, dicendum est omnes partes non posse separari à toto manente eodem toto actualiter.

103 Deinde interrogo an ex illis partibus separatis à toto, & vnitis inter se resultet composita entitas vel non hoc secundum dici non potest, quia impossibile est quod dentur partes actu componententes, & quod non component aliquid, sed impossibile est quod partes actu component aliquid, & quod illud aliquid non sit actu compositum: ergo impossibile est, quod ex illis partibus separatis, & inter se vnitis substantialibus non resultet aliqua entitas composita: ergo primam dicendum est, in quo casu interrogo quo nomine appellanda sit illa entitas composita, certe non alio nisi nomine materiae primae, sed illa tota entitas quae materia prima dicitur nullo modo à parte rei distinguitur ab omnibus illis partibus simul sumptis, & vnitis ipsam componentibus, siquidem nihil est in toto quod non sit in illis, neque totum addit aliquam entitatem supra omnes partes simul sumptas, & vnitas, vt supra probavimus, ergo entitas materiae primae est idem cum entitatibus componentibus ipsam simul sumptis, & vnitis, ergo non potest illa materia composita ab illis, separari ab eisdem, quia idem non potest separari à seipso, alias idem à seipso distingueretur, quod est summum absurdum, unde sicut implicat hoc, ita implicat idem compositum separari ab omnibus suis partibus, alias essent, & non essent partes ipsius, ac proinde tota entitas materiae primae non potest esse sub privatione suarum partium.

104 Dices, quod illae partes separatae à materia prima simul sumptae, & vnitae non possunt actu conservari, sed necessario destruantur statim ac separantur à materia prima, & materia prima existit sub privatione illarum.

105 Sed contra, quia partes non dependent à toto, sed potius totum dependet à partibus, & sic etiam si destruantur totum possunt esse partes, vt videre est in Divo Petro, cuius partes extant materia scilicet, & anima rationalis adhuc destructo Divo Petro. Item in aqua divisa videre est hoc ipsum, siquidem destructo toto integrali aquae remanent partes illius: ergo si totum licet dependeat à partibus per vos potest conservari sine partibus, quia licet dependeat ab illis non est modus illarum: sed res absoluta, à fortiori partes permancbunt sine toto, siquidem neque sunt modus totius cum sint entitates substantiales, & absolute res, neque adhuc simul sumptae, & vnitae identificantur cum toto per vos, sed in illis sic existentibus extra to-

tum datur vnitas compositionis, ergo datur materia, & forma vnus compositi, entitates enim partium sunt materia, vnitas compositionis, quae est in illis partibus est ratio formalis constituendi vnum compositum, ergo necessario datur, vel resultat ex tali ratione formali, & ex tali materia vnum compositum; ergo falsum est dicere quod tales partes actu existentes, & vnitae separantur à tota entitate materiae primae quae est totum integrale compositum ab illis, aut tota entitas materiae primae separatur ab illis, & sit sub privatione illarum, & quod distinguitur ab illis.

Confirmatur, partes illae advenientes non componunt materiam primam, quae fuit sub privatione illarum, ergo non sunt partes illius; probatur antecedens, nihil distinguitur adaequate distinctione excludentis ab excluso à partibus per quas componitur: sed materia prima quae erat sub privatione distinguitur ab illis partibus adaequate distinctione excludentis ab excluso; ergo non sunt partes componententes materiam illam primam, quae erat sub privatione illarum partium; maior est certissima, nam Petrus non distinguitur à capite distinctione excludentis ab excluso, quia est pars illius, & in hoc nulla est dubitatio apud auctores; probatur minor, illud distinguitur ab alio distinctione excludentis ab excluso, quod ita excludit illud, vt possit separari ab illo realiter, & existere sine illo; sed materia prima quae erat sub privatione illarum partium ita se habet respectu illarum, ergo distinguitur ab illis distinctione excludentis ab excluso.

Declaro efficacius id ipsum: omne illud quod provenit materiae primae à quantitate formaliter est distinctum realiter ab ipsa materia prima: sed partes illae proveniunt à quantitate formaliter materiae primae: ergo sunt distinctae realiter à materia prima; maior est adeo certa vt non indigeat probatione, quia quidquid convenit substantiae ab aliquo accidente est illi accidentale, & in quantum substantia non includit illud in suo conceptu, alias substantia esset vnum ens per accidens sicut album; minor est sententia adversariorum, tunc sic, vel in quantum materia prima distinguitur ab illis partibus quas illi quantitas confert non habet partes, vel illas habet, si habet partes, habeo intentum, quia illas non potest habere à quantitate; si non habet: ergo materia prima vt substantia est adhuc sub quantitate, est indivisibilis: ergo si materia prima ex se non habet partes substantiales, nec illas potest habere à materia prima.

Sexto principaliter argumentor, & confirmo seu declaro amplius hanc rationem nuper dictam ex refutatione cuiusdam solutionis à certo Neoterico in manuscriptis tradita, inquit enim hic Auctor, quando transiit materia de affirmatione partium, & compositionis ad negationem partium hoc non contingere ex eo quod destruantur partes, & compositio inter illas, sed quia partes substantiales quae distinguebantur realiter inter se substantialiter sub quantitate identificantur ex vi separationis à quantitate, tum inter se, tum cum ipsa vnione, ac proinde materia prima manet simplex cum antea esset composita.

Sed licet hæc solutio ex dictis late in quinque precedentibus argumentis, videatur labefactata, nihilominus sic contra iam insurgo.

Quia illa quae distinguuntur realiter ita se habent vt à parte rei vnum non sit aliud ex vi propriae

præ differentia per quam constituitur in esse differentis ad illa, unde dicit negationem essendi aliud, quæ negatio ex eo quod sit essentialiter connexa cum differentia constitutiva illius, nullo modo potest destrui perseverante differentia, cum qua essentialiter connectitur; itaque negatio qua vnum non est aliud solum potest destrui per destructionem differentia constitutiva illius; sed non potest destrui differentia alicuius, quin destruat tota res cuius differentia est, sed ut res, quæ non est alia identificetur cum illa, debet necessario destrui negatio identitatis cum alio, alias remaneret simul identitas, & negatio identitatis respectu eiusdem, quod est impossibile, impossibile enim est idem simul esse, & non esse: ergo ut res identificetur cum alia distincta à se necessario, & evidenter sequitur ut tota res; quæ identificari dicitur, destruat, & amplius non sit, eo modo quo destruitur quando convertitur in aliam: ergo est implicatorium dicere, quod una res quæ non est alia realiter possit identificari cum illa manendo eadem, quæ erat antea, quam identificaretur.

111 Sed per vos substantia vnius partis, v.g. substantia brachij distinguitur realiter à substantia capitis, ut patet ex demonstrationibus supra factis: ergo non possunt identificari inter se nisi destruantur negationes quæ in illis dantur, ratione quantum non sunt idem carentque identitate inter se: sed non possunt tolli tales negationes quin destruantur differentia illarum partium, ac per consequens tota entitas illarum, ita ut vere non sint tales entitates: ergo est implicatorium, quod inter se identificentur, manendo eadem sine destructione sui, alias essent, & non essent eadem, manerent, & non manerent simul, essent, & manerent ut vos supponitis, non manerent neque essent, ut probavi, quia identificantur ratione cuius destruitur negatio, & entitas illarum.

112 Sed hoc est impossibile: ergo partes materiæ primæ quæ distinguuntur inter se, & ab unione nullo modo possunt identificari.

113 Quod amplius difficultatis habet ex parte identificationis illarum cum unione, nam talis unio est modus uniendo à parte rei, partes substantiales sunt res absolutæ, ac proinde plusquam specie, & genere distinctas ab ipsa unione: sed quæ ita se habent nullo modo, neque divinitus possunt identificari, ut videre est in homine, qui nullo modo neque divinitus potest identificari cum modo, alias una essentia identificaretur cum alia, & ex illis duabus fieret una, quod est chymæra; quare enim dicimus esse chymæram quandam essentiam resultantem ex essentia equi, & essentia hominis? nisi quia ex duabus essentijs resultat alia, etiam si illæ essentia solum specie infima differant, sed in casu nostro fieret una simplex essentia ex his quæ non solum specie sed plusquam genere differunt; ergo talis conflatio, & identificatio est omnino chymærica.

114 Totum hoc exemplis manifestissimis declaratur. Deus non potest identificari cum creatura adhuc per potentiam absolutam. Item neque Petrus cum Paulo, aut cum formica, & ratio est manifesta, quia in Deo datur negatio identitatis cum creatura, quare dum perseverat talis negatio, & non destruitur in Deo, non potest dari identitas in illo respectu creaturæ, nam cum negatio identitatis sit contradictorium identitatis, & non potest vnum contradictorium simul existere cum

alio in eodem subiecto; inde est, quod si detur identitas destruat negatio identitatis in illo: nunc interrogo an possit tolli à Deo, & destrui in illo negatio identitatis cum creatura? si respondeas posse destrui: ergo Deus potest identificari cum creatura, quod est summum absurdum, & aperte chymæricum. Quod autem si destrueretur talis negatio, necessario deberet habere identitatem Deus cum creatura, patet manifeste, quia nullo subiectum potest absolui à parte rei à duobus terminis contradictorijs propter immediatam oppositionem inter illos; unde si in vno subiecto non est vnum contradictorium, necessario debet esse alterum, ut si in lapide datur negatio hominis, non potest dari ratio hominis, & si in Deo deficit albedo debet esse in Deo non albedo; sed in Deo deficit contradictorium identitatis cum creatura, hoc est, negatio identitatis, & ergo necessario debet dari in Deo identitas cum creatura: ergo sine dubio debes respondere non posse tolli negationem identitatis cum creatura à Deo. Nunc autem interrogo.

Quare talis negatio identitatis adhuc per potentiam Dei absolutam non possit tolli à Deo? certe non poteris aliter respondere nisi dicendo negationem identitatis in vno distincto respectu alterius, aut non esse vere, & formaliter negationem, sed potius idem quod ipsa entitas positiva explicata per negationem, aut si est negatio formaliter proprie, & vere esse ita necessario, & essentialiter connexam cum ipsa entitate rei quæ non est alia, ut non possit hæc tolli perseverante entitate, vel non posse hanc destrui, nisi destructa entitate rei, quæ non est alia, quod idem est ac esse omnino inseparabilem ab entitate rei.

Sed per vos substantia brachij non est à parte rei substantia capitis, ac proinde dicunt negationem identitatis ad invicem: ergo perseverante entitate substantia brachij, & substantia capitis non possunt tolli negationes identitatis earumdem inter se: ergo perseverante eadem substantia brachij, eadem substantia capitis non possunt inter se identificari, sed separata divinitus quantitate à substantia brachij, & substantia capitis remanet eadem substantia brachij, & eadem substantia capitis: ergo non possunt identificari inter se.

Dices Deum non posse identificari cum creatura propter infinitam distantiam quæ datur inter utrumque, ex eo quod Deus infinita perfectione superet creaturam.

Sed contra manifeste, quia una persona divina non exceditur ab alia infinita perfectione, nam ut ait Athanasius in *Symbolo*, sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti una est divinitas, & qualis gloria, coæterna maiestas, qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus, quia in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil maius, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales, & nihilominus personæ divinæ adhuc per potentiam Dei absolutam non possunt identificari inter se: ergo talis excessus perfectionis non est causa quare vnum non identificetur cum alio à se distincto, sed tota causa est, quam iam diximus: Quod autem una persona nullo modo possit identificari cum alia in quantum persona certum est in fide nostra, quia Trinitas personarum est omnino necessaria, & indefectibilis, unde cum semel sit nunquam potest non esse, neque aliter potest esse, quia in divinis idem est esse ac posse.

Dices

SUBSECTIO V.

In qua duo alia argumenta pro nostra conclusione ponuntur.

119 Dices vnum ens completum non posse identificari cum alio ente completo, substantiam autem partialem posse identificari cum alia substantia partiali, & incompleta.

120 Sed contra, quia hæc non est solutio, sed illusio, nam ubi est eadem ratio formalis est idem effectus vel quasi effectus formalis, sed in re incompleta datur eadem ratio negationis essendi, alia connexa necessario cum sua entitate sicut in re completa; sed res completa propter hanc negationem non potest identificari cum alia completa; ergo propter eandem rationem non poterit res incompleta identificari cum alia incompleta. Deinde anima rationalis Petri non potest identificari cum anima rationali Ioannis, nec mea materia prima cum mea anima rationali, sed anima, & materia prima sunt entitates incompletae; ergo non solum implicat identificari duo entia completa distincta, sed etiam duo entia incompleta distincta.

121 Dices duo entia incompleta essentialiter non posse identificari realiter, bene autem duo entia incompleta integraliter.

122 Sed contra evidenter, quia duæ partes quantitatis actu componentes, vt v. g. quantitas brachij, & quantitas capitis sunt entia incompleta integraliter cum sint partes componentes quantitatem integram; sed quantitas brachij non potest adhuc diuinitus identificari cum quantitate capitis; ergo vnum ens incompletum integraliter non potest identificari cum alio. Deinde quia contra hanc solutionem redeunt omnia argumenta supra posita, quorum applicationi superaddo, quia à quocumque facile potest fieri. Tandem contra primam partem solutionis sic insurgo; ergo vna aqua non potest identificari cum alia, sed hoc est falsum in vestra sententia; ergo etiam vna substantia completa potest identificari cum alia à qua distinguitur; patet consequentia; aqua quæ est in hoc flumine est completa, & potest vniri cum alia aqua alterius fluminis, & à composito quod resultat ex illis aquis potest Deus separare totam quantitatem; vel tunc illud compositum haberet partes distinctas vel non haberet: si primum, habemus intentum, ac proinde tales partes non accipit totum à quantitate; si secundum: ergo illæ substantiæ quæ erant completæ possunt identificari; ergo nulla est solutio.

123 Vergetur, quia omnis effectus positivus petit causam positivam, ita vt à negatione, & earentia nullo modo possit causari talis effectus positivus, quia res superioris ordinis non potest fieri à re inferioris ordinis; imo esse non potest fieri à non esse: sed identitas partium substantialium inter se est mirabilis effectus positivus, & separatio quantitatis à materia prima est negatio, seu earentia vnionis præcise; ergo talis separatio quantitatis non potest esse causa formalis adæquata, imo nullo modo potest esse causa talis identitatis; ergo adhuc separata quantitate manent partes sine identitate; ergo tales partes non recipiuntur à quantitate.

124 S Eptimo sic argumentor: anima materialis arboris v. g. vel anguis, aut lacerti prius educitur ex potentia materiæ primæ, & informat illam, secundum sententiam Thomistarum, quam educatur quantitas, & recipiatur, nam cum ipsi asserant accidentia materialia omnia educi, & recipi in toto composito, & non in parte compositi: inde est quod non educatur quantitas, nec recipiatur, aut habeat esse nisi prius iam compositum substantiale habeat esse, omne enim subiectum est causa materialis accidentium; sed omnis causa prius natura habet esse quam effectus: ergo subiectum accidentium debet esse, & habere esse prius, quam accidentia quæ subiectantur in illo, cumque quantitas sit vnum ex accidentibus quæ in illo subiectantur; inde est, quod totum compositum habeat prius esse quam quantitas, sed prius natura quam compositum habeat esse debet habere esse forma talis compositi, quia forma est causa compositi, sed non potest habere esse formæ, v. g. anima materialis nisi educatur, & informat materiam primam, quia fit dependenter ab ipsa media receptione; ergo de primo ad vltimum prius educitur anima lacerti, seu anguis, &c. quam quantitas habeat esse, quod etiam hac ratione quam evidentem dicunt probant Thomistæ, quia materia est potentia substantialis; ergo prius respicit formam substantialem quam accidentalem: sed quod prius respicit prius etiam recipit cum eo fine respiciat vtramque formam, vt eam in se recipiat, sed ex receptione formæ in materia resultat totum; ergo prius habet esse totum quam recipiatur, & habeant esse quantitas, & cætera accidentia.

Tunc sic: pro illo priori quo informatur à tali anima materia prima habet partes; ergo prius quam sit quantitas, & recipiatur habet materia prima partes; ergo non recipit illas à quantitate; patet consequentia primo, quia à causa formali quæ non est, dum non est non causatur aliquis effectus formalis, sed pro illo priori quo materia informatur sunt partes in materia prima, & pro illo priori non est quantitas; ergo tales partes non causantur in genere causæ formalis à quantitate: Secundo, quia quod prius est non dependet à posteriori; ergo non causatur à posteriori, quia omnis causatio, seu causalitas est per dependentiam, sed partes materiæ primæ sunt priores quam quantitas; ergo tales partes non dependent neque causantur à quantitate: prima minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia talis anima, vel alia quacumque forma materialis substantialis (vt abstrahamus ab opinionibus) v. g. forma lapidis, est de se diuisibilis, & habet partes; ergo diuisibili modo educitur, & diuisibili modo informat, & non informat eo modo quo anima rationalis essendo tota in toto, & tota in qualibet parte materiæ, alias esset forma spiritualis; sed diuisibili modo, & non indivisibili educi, & diuisibili modo informare est educi tota forma à toto subiecto, & pars formæ à parte subiecti; ergo tota educitur à tota materia prima quæ est subiectum,

iectum, & pars illius educitur à parte materiæ primæ informando tota forma totam materiam, & qualibet pars formæ quamlibet partem materiæ: sed si pro illo priori dum educitur ex potentia materiæ primæ, & informat illam talis forma, materia prima non esset tota, & haberet partes, non posset illa forma educi secundum unam partem ab alia parte materiæ primæ, & secundum se totam à tota materia prima, ideo enim albedo educitur per partes à partibus subiecti, quia subiectum habet partes à quibus posset albedo secundum partes proprias educi, quod ex ipsis terminis patet manifeste, nam si partes formæ educuntur ex partibus materiæ, & tota forma ex tota materia, evidenter sequitur, quod sicut forma habet totam entitatem, & habet partes, quæ educuntur ex partibus materiæ primæ, ita etiam materia prima habet partes ex quibus formæ partes educuntur.

125 Deinde forma illa, v. g. anima lacerti informat materiam primam ut actus corporis physici organici, quia anima ut sic est actus corporis physici organici: ergo talis forma informat secundum varias partes proprias, quia informat ut constituat materiam primam organicam, & constituendo in esse organici substantialiter ipsam: sed substantialiter organica materia necessario debet esse secundum varias partes materiæ, nam esse organica nihil aliud est quam habere varia organa, & varia organa sunt variæ partes varijs, ac diversis unionibus unitæ formæ; ergo si materia prima pro illo priori informationis constituitur in esse organica, & habentis varia organa, taliter constituetur à forma divisibili modo informante varias partes materiæ primæ.

126 Dices formam illam non informare divisibili modo materiam primam pro illo priori: sed potius indivisibili modo.

127 Sed contra, quia hoc est chimericum, & contra naturam, & essentiam ipsius animæ, nam informatio alicuius formæ est exercitium, & actus secundus talis formæ, actus autem secundus seu exercitium habet maximam proportionem cum forma in modo essendi, quare eo modo petitur exercitium, ac est ipsa forma, quod à fortiori reperitur in ipsa productione formæ, sed forma ipsa est divisibilis quoad suam entitatem pro illo priori; ergo educitur pro illo priori, & informat pro eodem divisibili modo, & non indivisibili.

128 Exemplis manifestis hoc declaratur; ideo albedo divisibili, & non indivisibili modo informat subiectum, & idem est de quantitate respectu substantiæ, quæ sunt divisibiles quantitas, & albedo quoad esse, & non sunt indivisibiles; è contra vero intellectus informat indivisibili modo, quia est indivisibilis in suo esse, quod adeo verum est, ut etiam si per potentiam Dei absolutam informaret intellectus lapidem indivisibili modo informaret illum, id est essendo tota in toto, & tota in qualibet parte, ut videre est in anima rationali, quæ tota est in tota materia prima, & tota in qualibet parte illius, ac proinde ex parte sua indivisibiliter informat, quia talis modus informandi, & essendi, est connaturalis, & proprius formæ spiritualis; unde ut aliqua entitas corporea, & materialis hoc modo indivisibiliter existat, necesse est ut intercedat miraculum, & potentia Dei absoluta

exerceatur circa illam, ut videre est in humanitate Christi Domini, quæ miraculose, & supernaturaliter, & non connaturali modo existit in Eucharistia, quia existit indivisibiliter, seu indefinitely, & non circumscriptione, nam si circumscriptione, & divisibiliter existeret, existeret tota in tota Hostia, & pars in parte hostiæ, qui non esset miraculosus modus existendi, ut est quem habet nunc in Hostia indivisibiliter existendo; itaque solum supernaturaliter, aut divinitus potest forma materialis, & corporea existere indivisibiliter, & non divisibiliter; atqui forma lapidis, v. g. vel anima lacerti, naturaliter, & non supernaturaliter informat pro illo priori materiam primam: ergo non indivisibiliter, sed divisibiliter informat illam.

Item, quia forma illa semel tantum producit, & quando semel producit, producitur divisibili modo, quia producitur secundum existentiam propriæ naturæ: sed natura talis formæ est divisibilis: ergo existentia talis formæ est ut divisibili modo producat; ideo enim quantitas producitur divisibili modo, quia cum semel, & non bis producat debet produci eo modo quo est, è contra vero Angelus semper producitur indivisibiliter, quia est indivisibilis: ergo si forma materialis est divisibilis formaliter divisibili modo debet produci per educationem, hoc est dependendo à subiecto ex quo educitur cum proportionem, & commensurationem ad ipsum subiectum, quia inter potentiam, & actum connaturalis datur commensuratio, & proportio naturalis, quæ commensuratio nihil aliud est quam totam formam contineri in tota materia, & de tota materia educi, & partes eius contineri in singulis partibus materiæ, ex eisque educi; ergo etiam in materia prima dantur partes, alias quomodo ex partibus materiæ educerentur partes formæ.

Unde si pro illo priori, materia prima nullas haberet partes: sed esset omnino simplex, ita educeretur illa forma ex potentia materiæ, & ita informaret illam, ut tota forma educeretur ex tota materia, & unaquæque pars formæ non ex parte materiæ: sed etiam ex tota materia, ita ut unaquæque pars formæ esset ubicumque esset alia pars formæ, & ubi est tota forma, unde modo indebito, & supernaturali existeret talis forma, & partes eius, quia modus naturalis informandi harum partium non est cum modo illo nominandi inaudito informare: sed potius informare, ita ut una pars non informet subiectum quod informat alia: sed aliud distinctum saltem partialiter; informando autem ita ut una pars informet idem subiectum, quod altera, & quod omnes simul est modus informandi supra omnem naturam formæ divisibilis, ac proinde est miraculosus, & supernaturalis modus informandi, hucusque non auditus neque visus, & proinde incredibilis, & improbabilis omnino. Imo addo summam confusionem adversarios ingerere in talibus partibus formæ, ita acervatim ponendo illas, ut sine aliquo ordine ponantur, ordo enim illarum partium est quod una sit e tra locum alterius: sed ibi omnes essent intra unum locum indivisibilem: ergo sine ordine, & cum maxima confusione existerent.

Deinde, quia eo modo sunt partes formæ, quod debent exercere suas operationes, & in facto esse

Quæst. VI. Vtrum substantia habeat, &c. 609

se conservantur entitates illarum partium: sed non possunt exercere, anima v.g. lacertorum, &c. tam varias, ac diversas operationes, quibus gaudent in eodem, ac vno simplici subiecto: sed in diversis, & distinctis subiectis organicis, ut de se patet, & de facto non in vna simplici entitate: sed in diversis subiectis partialibus conservantur; ergo in educatione sua, & in fieri non producuntur omnes dependenter ab vno simplici subiecto: sed potius à subiecto composito, & à diversis partibus illius. Adde quod eadem forma materialis non potest transire de vno subiecto in aliud: sed in vestra sententia transiret de subiecto simplici in subiectum compositum; ergo id quod asseritis non est dicendum.

131 Nec valeret dicere in illo priori etiam formam materialem esse indivisibilem, postea autem accipere partes à quantitate, sicut & ipsam materiam primam.

132 Non enim potest dici hoc, tum quia est contra vestram sententiam, nam vos solum asseritis materiam primam non habere partes à se, quia est pura potentia, in pura enim potentia secundum vos nullum est principium distinctionis, quia omnis distinctio provenit ab actu, cum autem materia prima nullum habeat actum à se, omnem enim ab ipsa removers tam existentialem quam metaphysicam, ut conservetur pura potentia in materia prima sine aliqua ratione actus, inde est quod nullam habeat in se rationem distinctionis, ac per consequens nullam rationem partium, quia ratio partium petit distinctionem formalem, sed forma materialis, v.g. lapidis non est pura potentia substantialis, sed potius simpliciter actus substantialis habens in se, & ex se tam actum metaphysicam essentiali, quam existentialem, quem communicat materię primę, quia materia prima non habet existentiam à se, sed eam habet à forma; ergo in se ipsa habet talis forma rationem distinctionis; imo est ipsa ratio formalis distinguendi, actus enim est qui distinguit, ut pro axiomate docetur passim à Divo Thoma, & ideo ex se forma, & non ab alio habet distinctionem essentiali ab alia forma, & distinctionem existentialem, sicut & individuali: sed talis forma quatenus est forma materialis, & quatenus distinguitur à forma spiritali substantiali, v.g. ab anima rationali debet habere distinctionem substantialem integram; ergo illam habet à se, & non ab alia, v.g. à quantitate, quia illa est substantialis actualis, & quantitas est accidens ut iam late diximus: sed forma lapidis, v.g. nullo modo habet esse formę substantialis à quantitate; ergo nullam rationem actus substantialis contentam in se habet à quantitate; ergo nullam rationem distinctionis substantialis habet à quantitate, quia ratio distinguendi, aut distinctionis substantialis est ratio actus substantialis, quia per id actus distinguitur per quod est actus, sed nullam rationem actus substantialis recipit forma lapidis ab alio distincto à se, sed à se habet illam; ergo nullam rationem distinctionis substantialis habet ab alio, sed à se: sed ratio distinctionis partium integralium formę materialis est distinctio substantialis, qua vna pars formę substantialis distinguitur ab alia parte substantiali eiusdem formę; ergo hanc distinctionem nullo modo accipit ab alio à se distincto, licet materia prima, quia est pura potentia, & nullum actum substantialem habeat à se, sed ab alio emendicet talem distinctionem.

R. P. Neph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

distinctionem partium integralium ab alio, scilicet à quantitate.

Tum denique, quia hoc est dictum impossibile; 133 nam si forma lapidis v.g. haberet partes à quantitate, haberet illas quantas, & impenetrabiles, sicut partes quas accipit ipsa materia prima, sed partes formę essent distinctę à partibus materię primę: ergo distinctę impenetrabiles essent; ergo non possent se penetrare partes formę cum partibus materię, sicut partes eiusdem materię primę non possunt se penetrare, quia sunt distinctę partes quantas, ac proinde distinctę impenetrabiles: sed tota forma, & omnes partes eius penetrant totam materiam, & omnes partes eius quoad profundum, latum, & longum; nihil enim est in materia prima quod non penetretur, & informetur à forma. Et ratio evidens à priori est, quia penetratio nihil aliud est, quam duo quanta esse simul in eodem loco, ita ut vnum non sit extra locum alterius: sed forma lapidis, & materia lapidis affectę quantitate sunt duo quanta (quantum enim est concretum accidentale, & hoc multiplicatur ad multiplicationem subiecti substantialis; unde si per possibile, vel impossibile in Petro, & Ioanne distinctis substantialiter poneret Deus eandem numero albedinem, illa individua non essent vnum album, sed duo alba de quo late egimus in Logica; ergo si in materia, & forma quę sunt duo subiecta quantitatis realiter distincta datur eadem quantitas, non vnum sed duo quanta dicuntur, & sunt simul in eodem loco, nec vna est extra locum alterius; ergo penetrantur; ergo forma non habet partes impenetrabiles, siquidem penetrat omnes partes materię: ergo non habet partes quantas à quantitate: ergo habet partes à se.

Deinde, quia Thomistę quando vnam formam semel ponunt omnino indivisibilem sine partibus integralibus, ut dicunt esse animas perfectorum animalium, semper indivisibiles ponunt: ita ut in esse, fieri, & conservari habeant suam indivisibilitatem integram, ita ut tam indivisibiles sint pro illo priori informationis, ac postquam quantitas est in toto subiecto, & informat omnes partes simul sumptas, & unitas, materiam nimirum, animam equi, & unionem; & ratio est, quia cum forma non habet esse actus ab alio, ita non potest ab alio transire de esse actus simplicis, ad esse actus compositi; ergo si pro illo priori informationis materię, & constitutionis compositi forma lapidis est indivisibilis omnino ex se, nullo modo poterit ratione quantitatis transire de esse actus simplicis ad esse actus compositi integraliter.

Ultimo principaliter sic argumentor, confirmando amplius rationem præcedentem, quia nutritio in equo, v.g. distinguitur à prima generatione, & est actio substantialis; ergo habet pro termino substantiam distinctam à termino generationis, sed terminus generationis est substantia completa; ergo terminus nutritionis productus per illam erit substantia partialis seu incompleta, quod omnes concedunt etiam Thomistę; unde asserunt cum veritate per nutritionem produci partem formę equi dependenter à parte materię, & vniiri partes illas inter se; itaque per nutritionem producitur quædam pars integralis equi composita essentialiter ex parte materię, & ex parte formę equi, quę ex vi ipsius nutritionis integrat ipsum equum nutritum seu alitum;

H h h h

alium; sed in illo priori quo producit illa pars formæ equi vnita parti materiæ equi nondum est quantitas, (quia vt supra demonstravimus subiectum debet esse, & fieri prius quam accidens quod subiectatur in ipso: sed illa pars quæ de novo producit per nutritionem compositam ex materia prima, & forma partialibus actu producit componendo, & integrando ipsum equum, & sic in illo priori quo producit, producit cum vnione ad ceteras partes, quia non producit pro illo priori divisa, & separata à partibus equi: sed coniuncta, & vnita illis; ergo vt componens, ac proinde vt pars formaliter actualis integralis equi) quæ debet informare illam partem, quæ pro illo priori producit, quia quantitas illa partialis in posteriori naturæ educitur ex illo partiali subiecto, illa quantitas non potest constituere partem materiæ equi, & formæ equi pro illo priori productam vt partem, quia forma quæ nondum est vt supra diximus, non potest causare effectum formalem: ergo evidenter sequitur partes integrales materiæ primæ, & formæ non esse à quantitate formaliter.

136 Dices quantitatem ante nutritionem productam, & præexistentem in reliquis partibus equi constituere formaliter partem de novo productam in esse partis.

137 Sed contra, quia quantitas non causat effectum formalem in subiecto in quo non est, & ex quo non educitur, quia forma accidentalis dandæ se ipsam, & informando dependenter in esse, & fieri à subiecto, causat effectum formalem: sed quantitas præexistens in partibus ante hanc nutritionem existentibus non informat hanc partem integram de novo productam per hanc nutritionem novam; alias eadem entitas quantitatis esset naturaliter in duplici loco, & subiecto, siquidem illa quantitas præexistens esset in partibus præexistentibus, & in loco illarum, & simul in parte de novo producta, & in loco illius: Item bis educeretur eadem entitas quantitatis: primo à partibus præexistentibus: secundo à parte de novo producta, & quam de novo informat dependendo ab ipsa, quæ sunt summa absurda inaudita quidem, quis enim potest intelligere, vt eadem entitas accidentis sine additione aliqua extendatur de novo ad aliquod subiectum, quod antea non informabat: deinde, quia vnaqueque entitas materialis vt distincta ab alia habet propriam corviam quantitatem ex se tanquam passionem emanantem; ergo illa substantia partialis de novo producta habet sibi propriam quantitatem emanantem ab ipsa, & informantem eandem; ergo prima quantitas non informat eandem partem de novo productam, alias duo numero distincta accidentia eiusdem rationis erunt simul in eodem subiecto naturaliter, quod adhuc divinitus negant Thomistæ posse fieri. Item penetrarentur duæ quantitates naturaliter, ne ergo hæc incommoda intolerabilia sequantur, dicendum est sine dubio, quantitatem præexistentem in reliquis partibus equi non posse simul informare partem de novo productam.

138 Ergo non potest constituere illam in esse partis formaliter, nec dare illi in genere causæ formalis rationem partis formaliter: atqui non est alia quantitas pro illo priori, quæ possit constituere illam in esse partis formaliter: ergo ipsa ex

se est pars integralis formaliter.

Confirmatur, quia nutritio quatenus distinguitur ab augmentatione terminatur ad substantiam quatenus pars est, non ratione quantitatis, sed ratione sui: ergo illa substantia partialis est talis ratione sui, & non ratione quantitatis, quia si ratione sui non esset substantia partialis, non ratione sui immediate, sed ratione quantitatis terminaret nutritionem: atqui immediate, & ratione sui, & non media quantitate terminat nutritionem; ergo ratione sui, & non ratione quantitatis est pars substantia seu substantia partialis: hæc minor sic probatur, quia actio substantialis qualis est nutritio est ordo transcendentialis immediate terminatus ad substantiam illam, tanquam à termino à quo specificatur: sed non specificatur essentialiter per quantitatem, aut mediante illa à substantia, alias specificatio essentialis qualis est illa non esset per se, sed per accidens, ac proinde esset essentialis, & non esset essentialis; essentialis, vt supponimus, siquidem est specificatio essentia actionis per ordinem essentialem transcendentem, non essentialis, quia est specificatio per accidens, hoc est, per quantitatem: ergo non est per illam, sed immediate per se; unde substantia immediate specificabit nutritionem ratione sui, & non ratione quantitatis: sed talis specificatio est in quantum substantia terminat talem ordinem transcendentem nutritionis vt producat ab illa: ergo talis substantia producit à nutritione immediate ratione sui, & non ratione quantitatis; alias si mediante quantitate produceretur talis substantia à tali nutritione, talis nutritio producendo immediate quantitatem produceret substantiam mediate, sicut quia medijs creaturis cognosco Deum cognoscendo immediate illas cognosco mediate Deum, ac per consequens abstractivè; unde per eandem cognitionem cognoscuntur creaturæ, & Deus: ergo similiter per eandem actionem produceretur substantia, & quantitas; unde augmentatio, & nutritio non distinguenter à parte re ipsæ essent vna, & eadem actio realiter, quod evidenter est falsum in sententia adversariorum; ergo.

Tandem efficaciter confirmo hoc ex mysterio 140 Eucharistia, quia postquam Christus Dominus definit esse sub speciebus consecratis, si corruptantur in sacratio vniuntur alteri materiæ, quam Deus de novo creat, & suppono quantitatem esse duorum palmorum. Tunc sic, Deus creat in illo casu novam materiam primam; ergo vel quatenus actio creativa terminatur ad illam materiam, talis materia est divisibilis, vel indivisibilis in ordine ad locum, si hoc secundum; ergo substantia præcisa quantitate, & habet partes à se, & illæ non confluant in punctum; si vero producat vt indivisibilis quod locum: ergo quatenus vniuntur quantitati vniuntur illi quæ responderet, & quatenus responderet indivisibili loci, quia non potest vniiri quantitas subiecto extra locum ipsius quantitatis: sed quantitas, quæ respondet indivisibili loci est omnino indivisibilis, hoc est punctum, sine aliqua extensione; & partibus, ac proinde in vestra sententia non est quantitas; ergo non extendit substantiam, neque illi dat partes, quia nemo dat quod non habet; ergo tam indivisibilis manet substantia, & tam inextensa substantia ac sine illa.

Sed demus quod illa substantia producat in spatio

Quæst. VI. Vtrum substantia habeat, &c. 611

spatio partis A quantitatis, pars B quantitatis non vniatur illi substantiæ; ergo necessario debet produci alia distincta pars substantiæ correspondens parti B quantitatis; probatur antecedens, implicat quod quantitas vniatur substantiæ, cui non est præsens, vel correspondens spatio talis quantitatis: sed illa substantia primo producta non est præsens quantitati B: ergo illa substantia non vniatur parti B, quantitatis; minor supponitur, maior est evidens, nam substantia quæ est Lima non potest vni quantitati quæ est Roma, quia vno est maxima coniunctio duorum, & sic requirit intimam coniunctionem localem, quia talis vno actus, & potentia attingit intrinsece vtrumque extremum. Dices partem quantitatis A, extendere illam substantiam vt vniatur parti B: sed contra quia nulla quantitas extendit substantiam extra suam extensionem; alias quantitas præcisè sumpta vnus palmi extendere substantiam propriam ad quatuor palmos, quod est absurdum. Deinde Deus potest producere substantiam, quæ vniatur parti A quantitatis, & postea substantiam quæ vniatur parti B, sed illæ substantiæ vnitæ component vnā substantiam habentem illas substantias vt partes: ergo non haberet illas à quantitate, quia antequam vniatur quantitati haberet illas, & effectus formalis non potest esse ante vniōnem formæ cum subiecto.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

AD locum Aristotelis respondeo, illum loquutum fuisse de infinito sumpto, pro magnitudine secundum molem sine termino, & in hoc sensu solum negat substantiam, & qualitates posse esse infinitas, quod non est contra nos, sicut etiam idem Aristoteles negat ibidem, & alijs locis eandem substantiam esse finitam; vnde in prædicamento quantitatis ait proprietates quantitatis esse finitam, & infinitam; quod non potest aliter intelligi nisi de infinito, & finito secundum molem; nam si vniuersaliter loqueretur, non posset negare Philosophus substantiam esse finitam; quia omne creatum finitum est; atqui substantia de qua loquimur præcisè quantitate est creata: ergo est finita; & inde si recte intelligas Aristotelem debes dicere solum loquutum esse de finito secundum molem; quia aliter non potest vilo modo congruenter intelligi, sed eodem modo loquitur Philosophus de finito, ac de infinito: ergo si dum loquitur de finito, agit de finito secundum molem, similiter dum loquitur de infinito, debet agere de infinito secundum molem; & ratio est quia finitudo, aut infinitudo de qua loquebatur Philosophus, vt patet ex ipsius verbis, erat finitudo, aut infinitudo sensibilis; cum autem substantia sit sensibilis, non per se, sed per quantitatem, inde est quod nec sit finita, nec infinita, nisi per quantitatem.

AD locum D. Thomæ respondeo ibi loquutum fuisse angelicum Doctorem de diuisibilitate physica à physico agente causata, quæ non potest fieri nisi mediante quantitate, vt supra diximus, quando de diuisibilitate quantitatis tractauimus; videatur Suarez; vnde optime ait D. Thomas, dum docet substantiam sine quantitate fore indiuisibilem physice.

R. P. I. de Peñafiel. Theol. Schol. Tom. I.

AD rationem P. Vasquez nego, quod si substantia, cæteraque illius accidentia habeant extensionem entitativam, non sit danda alia extensio secundum molem, in qua sit ponenda essentia quantitatis. Deinde dicimus non posse omni extensioni entitativæ tribui vt passionem impenetrabilitatem; alias tot essent quantitates, quot entitates distinctæ; quod satis aperte demonstravimus esse falsum contra Nominales multis argumentis, eisque efficacissimis; quia quantitas est extensio cum impenetrabilitate: ergo si extensio substantialis est impenetrabilis ratione suæ passionis, & similiter est impenetrabilis extensio qualitatum; ergo tot quantitates, quot extensiones erunt; quod esse contra evidentem experientiam patet; cum naturaliter videamus duas substantias penetratas inter se, v. g. formas materiales cum materia prima, & omnes qualitates realiter distinctas inter se, vt sunt albedo, dulcedo, &c. cum eadem materia prima: ergo non quæcunque extensio, quam habet entitas distincta ab alia, est impenetrabilis; sed solum extensio quantitatis, alias non penetrarentur, vt videre est in duabus manibus quantitate affectis, quæ non possunt penetrari, non quia extensiones, sed quia impenetrabiles.

AD illa verba P. Vasquez aut è contrario soli extensioni, &c. respondeo non impenetrabilitati formaliter, sed potius corpulentia, aut moli corporeæ, cui debetur talis impenetrabilitas adscribendam esse quantitatis essentiam, vt questione sequenti videbimus.

AD id vero quod dicit P. Vasquez illis verbis; deinde quia substantia, &c. respondeo, substantiam sine quantitate petere vbi diuisibile ex natura sua, ita vt pars substantiæ correspondeat parti loci, & tota toti loco; cum aptitudine tamen vt possit penetrari cum alia substantia existendo cum ipsa in eodem loco. Deinde ego vt falsissimum id, quod addit Vasquez videlicet non posse supposita tali natura adhuc diuinitus poni talem substantiam modo indiuisibili; quia Deus vt author, & superior naturæ potest dispensare in legibus eius, vt in legibus positivis dispensat conditor talis legis; Deus enim sua absoluta potentia potest alterare principia naturalia vti subiecta suæ potentia.

AD quartum distingo maiorem, esset composita materia prima integraliter, & substantialiter ex partibus entitativis concedo, esset composita ex materia, & forma vt ex actu, & potentia nego. Itaque duo sunt genera partium essentialium physicarum, v. g. materiæ, & formæ, vel metaphysicarum, vt generis, & differentia; aliud genus partium integralium, quas entitativas vocant, vt sunt manus caput, & pedes in homine, vel palmus, & semipalmus in cæteris rebus, & huius generis sunt partes materiæ primæ, quantitatis, & formæ materialis; ex quibus prius componitur materia prima, quam componat cum sua entitate cum forma compositum essentiale physicum; vnde negatur quod compositio ex actu, & potentia sit prior duratione, licet sit prior dignitate, & perfectione, quam compositio ex partibus integralibus; quia perfectius compositum resultat ex illa.

AD quintū concedo antecedens loquendo formaliter de extensione impenetrabili partium; si autem aduersarius loquatur sub nomine extensionis de ipsa entitate partium, seu ratione illarum, H h h h 2 quate

quatenus substantiales sunt tales partes, quæ extensio vocatur ab aliquibus transcendentalis, aut entitativa, negamus esse effectum formalem accidentalem, ut supra probatum manet; itaque habere partes extensas includit & ipsas partes, & extensionem earum habere partes præcise non est effectus accidentalis; quia materia prima quatenus substantia realis corporea est, habet illas secundum suum esse, & ab illis substantialiter constituitur in tali esse; unde substantiale quid est; ut ex dictis supra patet; quod autem istæ partes substantiales sint extensæ est accidentalis effectus proveniens ab extensione actuali, quæ est forma accidentalis modalis in ultima actualitate consistens; sicut parietem habere partes non provenit ab albedine; quod autem partes, & totus paries sit albus, hoc provenit ab albedine; ad consequentiam negamus suppositum quod sola quantitas sit accidens extensum faciens, à quo possit provenire extensio accidentalis; imo ipsa quantitas per suam entitatem actualiter, non facit extensum, ut videtur est in quantitate Christi, quæ licet in Eucharistia detur tota, quæ in cælo est, non reddit Christum extensum actu in ordine ad locum; unde alia forma accidentali modo indiget ipsa quantitas, ratione cuius actu extendat; cum talis forma in actuali extensione consistat: dupliciter enim potest esse extensa, primo præsentialiter, & actualiter, & hoc esse extensum non provenit à quantitate, sed ab ubi, vel situ cuiuscunque rei circumscriptivo; ratione cuius pars est in parte loci, & totum in toto loco, alia datur quantitativa, & secundum molem; quæ dubio sequenti explicatur, & hoc extensum provenit à quantitate.

Ad sextum nego antecedens; ad primam probationem antecedentis respondeo, concedendo primam partem maioris; ad secundam distinguo: omnis distinctio provenit ab actu physico, nego, metaphysico, concedo; hæc enim materia prima distinguitur à materia prima Ioannis, & nihilominus non distinguitur per actum physicum: sed per actum metaphysicum; id est per propriam entitatem, & per differentiam individualement huius materie. Ita similiter materia prima habet distinctas realiter partes, quia tales partes etiam ex se habent differentias individuales, ratione quarum realiter inter se differunt: unde distinguo etiam minorem, materia prima nullum habet actum physicum; quia physice est pura potentia, concedo; nullum habet actum metaphysicum, nego. Ad secundam probationem primo nego maiorem, & ratio est, quia licet omnes partes sint penetratæ, & una sit intra aliam distinguuntur; corpus enim Christi penetravit Cælos ut ait Paulus, & iterum virgineum, ut docet fides, & secundum communem sententiam Theologorum corpora Beatorum sunt penetrata cum substantia Cæli Empyreæ; neque sunt extra ipsum, & nihilominus Corpus Christi distinguitur à corpore, & utro virgineo; & Beati distinguuntur à cælo, imo identitas tollit penetrationem, quia idem non se penetrat: ergo distinctio partium non est unam partem esse extra aliam. Ad minorem distinguo, cum impenetrabilitate, concedo, ut postea explicabo.

Ad septimum concedo maiorem, & nego minorem; si de alia distinctione sit sermo, quam de illa, quæ provenit à radice impenetrabilitatis, & ad probationem minoris postea videbis quo pacto su-

matur impenetrabilitas pro passione quantitatis; ad ea autem, quibus probatur divisibilitatem coniungi propinquius cum quantitate dicendum est falso procedere, ut constat ex nostra probatione, saltemque esse causalem illam, cum divisibilitas potius oriatur ex impenetrabilitate, quam è contra.



QVÆSTIO VII.

In quo ponenda sit essentia quantitatis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit, essentiam quantitatis sitam esse in potentia illius ad recipiendam cetera accidentia; ut autem suam sententiam probabilem reddant hi auctores, comparant quantitatem cum materia prima, & asserunt, quod sicut essentia materie primæ collocatur in potentia ad recipiendas formas substantiales; ita essentia quantitatis quæ cœva est materie primæ, sita est in potentia ad recipiendas formas accidentales; unde sicut datur unum primum principium materiale, à quo educuntur illæ formæ substantiales, & in quo immediate recipiuntur; Ita datur aliud primum principium accidentale, à quo educuntur formæ accidentales, & in quo immediate recipiuntur: hæc sententia à me primo inventa, mihi non placet; quæ ab aliquibus maxime approbata probatur sic.

Primo; nam in Eucharistia non datur substantia panis, & nihilominus educuntur accidentia, sicut quando dabatur talis substantia, & recipiuntur in quantitate sicut antea: ergo quantitas est potentia natura sua recipiens formas accidentales sicut essentia materie primæ est potentia recipiens formas substantiales: sed essentia materie primæ est potentia ad illas recipiendas; ergo similiter potentia ad recipiendas formas accidentales est de essentia quantitatis.

Secundo, quia passio, seu attributum proportionatur cum essentia à qua dimanat, ut videtur est in infinitate respectu essentiae divinæ, in risibilitate respectu rationalitatis; atqui quantitas est passio materie primæ; ergo sicut ipsa essentialiter est potentia ad recipiendas formas substantiales; ita quantitas essentialiter erit potentia ad recipiendas formas accidentales.

Secunda sententia tenet extensionem formalem in ordine ad locum, quæ impenetrabilitas vocatur esse essentiam quantitatis, eiusque formalem effectum primum esse ita extendere substantiam, ut duæ partes non possint esse simul in eodem loco ex natura rei. Probatur primo extensio partium substantiæ in ordine ad se non potest provenire à quantitate: ergo primarius effectus quantitatis est extensio in ordine ad locum; antecedens probatur, Deus potest conservare substantiam corpoream sine quantitate extensam in eodem loco, in quo sub quantitate existeret; sed in illo casu partes substantiæ essent ordinatæ, & extensæ in ordine ad se, non secus ac erant sub quantitate.